
V
B
J
C

Janocki Jan Dan

IANOCIANA

SIVE

CLARORVM ATQVE ILLVSTRIVM

POLONIÆ AVCTORVM

MÆCENATVMQVE

MEMORIÆ MISCELLÆ.

VOLVMEN I.



VARSAVIÆ ET LIPSIÆ
APVD MICHAELEM GROELLIVM
SERENISS. POL. REGIS COMMISSARIVM ET BIBLIOPOLAM
SVB SIGNO POETARVM.
A. R. S. MDCCLXXVI.



INDEX AVCTORVM

QVI IN HOC VOLVMINE RECENSENTVR.

A.

ACERNVS SEBAST. FABIAN. patrio vocabulo KLONOWICZ, Conſul Lublinenſis, propter Latini ac vernaculi carminis facilitatem atque praeſtantiam, NASO Sarmaticus vocitatus. I.

AGRICOLA RVDOLPH. IVNIOR Rhaetus, eloquentiae atque aliarum litterarum Cracoviae profeſſor publicus. II.

AICHLER STANISLAVS, Latina appellatione GLANDINVS, Cracovienſis: iudicii ſupremi iuris Magdeburgici in Vrbe patria, Advocatus Provincialis; ſcriptis ſuis, amicitiisque eruditis, clarus. III.

AMBROSIVS MARCVS Polonus, patriorum INSIGNIVM ſcriptor. IV.

AMICINVS STANISLAVS Polonus, ſcriptor Elegorum. V.

ANCVTA GEOR. CASIMIR. Proëpiſcopus Vilnenſis: Magnique Lituaniae Ducatus Referendarius: patrii iuris publici auctor illuſtris. VI.

ANCVTA MATH. IOSEPH. Vilnenſis item Proëpiſcopus, ſtudiorum ac librorum optimorum amator. VII.

ANDRONICVS TRANQVILLVS, Dalmata doctiſſimus, hoſpes à Proceribus Poloniae honorificentiſſime exceptus. VIII.

ANSELMVS Ordinis Minor. Obſerv. e Provincia Polona, auctor Deſcriptionis Terrae Sanctae et Urbis Hieruſalem. IX.

ANTONINVS IOANNES Hungarus: Medicus SIGISMVNDI I, Poloniae Regis: ſcriptis ſuis, atque amicitiis eruditis, clariſſimus. X.

INDEX AVCTORVM.

B.

C.

D.

DOBR-

H.

HEN-

I.

K.

INDEX AVCTORVM

L.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

T.

V.

TEDE-



IANO-



IANOCIANA,

SIVE

CLARORVM ATQVE ILLVSTRIVM POLONIAE AVCTORVM, MAECENATVMQVE, MEMORIAE MISCELLAE.

VOL. I.

I.

SEBASTIANVS FABIANVS ACERNVS, pangendi cum Latini, tum vernaculi carminis arte, in claritudinem ſummam pervenit. Nomen ipſi paternum KLONOWICZ fuit. Quod ut latinitate donaret, ACERNVS voluit appellari. Natus eſt Sulmirciae, oppido regali, quod in Caliſſienſi Palatinatu ſitum eſt. Adoleſcens litteris operam dedit Cracoviae. Inde diſceſſit, accepto illo, qui in Academiis, ob liberalium artium philoſophiaeque ſcientiam, de more tribui ſolet,

 honore.

honore. Posthaec Lublinum venit, ubi ius eius civitatis adeptus, fortunarum suarum fixit sedem: uxore ducta infausto plane omine. Totam enim reliquam vitam iracunda ac prodiga mulier acerbissimam illi effecit. Lublini, consulis munere, simulque iudaicarum causarum iudicis officio, functus est egregie; donec anno salutis humanae MDCVIII, annum aetatis suae agens septimum atque quinquagesimum, mortem obiisset, in summa rerum omnium inopia, miseriaque incredibili, non domi suae, sed in communi nosocomio: in quem locum, hominem cultissimum atque incomparabilem, perdita uxoris vita redegit. Vir fuit antiqui candoris, rigidusque virtutis satelles: cui proinde, depravatos suorum temporum mores emendare, curae fuit. Eos mores cum, quales essent, graphice depingeret, illorumque turpitudinem omnium oculis subjiceret; multorum invidiam et occulta odia effugere haud potuit. Carmen factitabat plane eruditum, dilucidum, ac omnino fluidum, nec insuave: idque mira facilitate: usque adeo, ut vel imprudens inter familiares nonnunquam versus funderet, OVIDII in eo genere similis. Itaque NASO SARMATICVS appellatus est. Scripta eius, in Polonia ipsa, perraro obvia sunt. Exstant in ZALVSCIANA Bibliotheca publica,

Latino

Latino carmine:

I.) SEBASTIANI SVLMIRCENSIS ACERNI, CIVIS LVBLINENSIS, ROXOLANIA. Ad Munificentiſſimum Et Clariſſimum Senatum Inclytae Civitatis Leopolienſis. VIRGILIVS: *Si canimus ſylvas, ſylvae ſunt Conſule dignae.* CRACOVIÆ, typis ANDREÆ PETRICOVII, Anno Domini, M.D.LXXXIV. 4.

Elegia hac copioſiſſima, atque ornatiſſima, Roxolaniae, provinciae Polonorum feraciſſimae, laudes decantantur. Eſt illa, inter Scripta ACERNI, maxime rariſſima.

II.) SEBASTIANI SVLMIRCENSIS ACERNI: VICTORIA DEORVM. In qua continetur veri Herois educatio.

Naſoni Sulmo patria eſt, Sulmircia nobis:
Nosque poëtaſtri, Naſo poëta fuit.

Poëma heroicum eſt. Cui conficiendo ACERNVS decem annorum ſpatium impendit. Exiit circa annum MDC, ſine loci ac typographi mentione, forma 8. Typi, quibus eſt excuſum, ſimillimi ſunt iis, quibus SEBASTIANVS STERNACIVS utebatur, dum artem ſuam Cracoviae exerceret.

Latinaque oratione ſoluta:

III.) ADHORTATIO REVERENDI IN CHRISTO PATRIS, D. IOSEPHI WERESZCZYNSKI, DIVINA ORDINATIONE ABBATIS SIECIECHOVIEN. Ad Reverendiſſimos, Reverendos, Illuſtriſſimos, Illuſtres, Magnificos et Generoſos, Regni Poloniae Proceres, et Ordines omnes. Qua ducuntur ad concordiam amplectendam, et omnes ſimultates deponendas, priusquam actum

Electionis aggrediantur: utque omissa rerum privatarum cura, solis publicis negotiis studeant: quive secus faxit, ut à communi fratrum coetu excludatur. Ex Polonico idiomate, in Latinam linguam transtulit SEBASTIANVS FABIANVS SVLMIRCIVS ACERNVS. CRACOVIÆ, typis ANDREÆ PETRICOVII. Anno Domini. M. D. LXXXVII. 4.

IV.) REGVLA, ID EST: INSTITVTIO, SEV CVRSVS VITAE CVIVSQVE REGIS CHRISTIANI. Scripta Polonicè per Reverendum in CHRISTO Patrem, D. IOSEPHVM WERESZCZYNSKI, Divina ordinatione Abbatem Sieciechovien. Latinè reddita à SEBASTIANO SVLMIRCENSI ACERNO, Lublini causarum Iudaicarum Iudice. CRACOVIÆ, in Officina ANDREÆ PETRICOVII. 1588. 4.

V.) HONOS PATERNVS, ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, REGNI POLONIÆ SENATORI, AC REVERENDISS. ANTISTITI ET DOMINO, D. IOANNI DEMETRIO SOLIKOWSKI, DEI GRATIA ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI: nomine Monasterii Sieciechoviensis: reverenter habitus à SEBASTIANO ACERNO Sulmircensi, Consule Lublinensi. CRACOVIÆ, in Officina IACOBI SIBENEYCHER. 1602. 4.

Carmine autem vernaculo:

VI.) FLIS: To iest, Spuszczánie śtátkow Wisła, &c. id est: NAVTA, seu Poëma, de Navigatione atque Mercatura, utiliter exercenda in Vistula Fluvio. SEBASTIANO FABIANO KLONOWICIO AVCTORE. Cum vocabulis nauticis in

in margine. Excudebat SEBASTIANVS STERNACIVS CRACOVIÆ, loco ac tempore haud significato, forma 4. Exſcribebat deinceps typis ſuis, IOANNES TRELPINSKI, Regius Typographus VARSAVIÆ, Anno Domini M DC XLIII, eadem forma.

VII.) WOREK IVDASZOW &c. hoc eſt: MARSVPIVM IVDÆ, pellibus lupi, vulpis, pardi et leonis conſutum; vel de pravo acquirendarum divitiarum modo, deque variis fraudum atque fallaciarum generibus, Poëma in partes IV diviſum. Auctore SEBASTIANO ACERNO, Vrbis Lublinenſis Conſule, Iudaeorumque ibidem Praetore. CRACOVIÆ excudebat SEBASTIANVS STERNACIVS, Anno Salutis M DC III. 4.

VIII.) PAMIĘTNIK &c. id eſt: MEMORIÆ DVCVM ET REGVM POLONIÆ; ſive Epigrammata, in ſingulos illos Duces, Regesque. AVCTORE SEBASTIANO FABIANO KLONOWICIO. forma 4.

Caret Editio prima, alteraque, anni et typographi indicio. Fert tertia inſcriptum in fronte annum M DC XXXIX.

Soluto denique ſermone patrio:

IX.) REGVLA DIVI BENEDICTI: addita ipſius Vita, è GREGORII MAGNI Libro II. Dialogorum. SEBASTIANO ACERNO Interprete. CRACOVIÆ è Typographeo ANDREÆ PETRICOVII. M.D.XCVII. 4.

II.

RVDOLPHVS AGRICOLA IVNIOR, Hydroburgius Rhaetus, vertente anno MDIX, Cracoviam ſtudiorum cauſa venit. Oratoria ac poëtica arte, a PAVLO CROSNENSI, inprimis eſt exercitus. Philoſophia autem, atque mathematica, a MICHAELE VRATISLAVIENSI, ſtudioſiſſime inſtitutus. Duosque hos doctores, prae caeteris, amavit ac coluit. Cumque iis fuit aſſiduus ac perfamiliaris. Ab iisque effectum, vt ipſi ſemper aditus ad maioris Academici Collegii bibliothecam pateret: qua ille bene uſus eſt. Magiſterii inſignibus ornatus, Viennenſem Academiam acceſſit. In qua nobiliſſimis iuvenibus quotidie praecepta eloquentiae tradidit. Cumque Julio menſe anni MDXV, auguſtiſſimo ac celeberrimo, Germaniae Caeſaris, Hungariaeque, et Bohemiae, et Poloniae Regum congreſſui, Premiſlienſium Epiſcopus, Regnique Poloniae Procancellarius, PETRVS TOMICIVS, ſapientiae atque eruditionis fama inclytus intereſſet, AGRICOLA eum, totius Academiae nomine, pereleganti ac gravi oratione ſalutavit. Redimitus a MAXIMILIANO Caeſare corona Laurea, Cracoviam reverſus eſt. Statimque a Cracovienſi Epiſcopo, IOANNE KONARSCIO, Nepotum ſuorum ſtudiis ac mori-

moribus praepoſitus. Ipſiusque adiumento, a Senatu Academico, publicus eloquentiae, ac moralis philoſophiae profeſſor conſtitutus. Cariſſimus Praeſuli illi fuit. Gratusque et valde iucundus, CHRISTOPHORO SZYDLOVIECIO, Palatino Cracovienſi ac Regni Cancellario ſupremo. Amplis ab utroque praemiis donatus. Magni etiam aeſtimatus, ac liberaliter habitus, a IACOBO ARCISZEWSCIO, Cracovienſi Cathedrali Canonico, atque Academiae Cracovienſis Rectore. Amoeno fuit ingenio, et eruditione multiplici. Probus moribus. Ac plenus humanitate. Summeque in ſtudioſos iuvenes officioſus. Vacui temporis horam praeterire non paſſus, quam vel commentandis libris, vel legendis bonis Auctoribus, non impenderit. Carmina libentiſſime ac ſine labore fecit. ZALVSCIANA bibliotheca, patriae litteraturae monumentis inſtructiſſima, haec opuſcula, ab AGRICOLA illo, ſive compoſita, ſive carminibus ſuis, ac praefationibus exornata, communem in uſum ſervat:

1.) De Diuo CASIMIRO, Regio Polonie et Lituanie Principe, Signis ac Miraculis clariſſimo. RUDOLFI AGRICOLE Uaſſerburgen. Carmen Elegiacum. Uenerando Preceptori ſuo M. PAVLO CROSNENSI, florentiſſimi Studii Cracouien. College oblatum. Impreſſum CRACOUIE per FLORIANUM UNGLERIUM. Anno uirginei partus. 1511. 4.

II.) Ad Reuerendiſſimum in CHRISTO Patrem et Dominum, Dominum IOANNEM LUBRANSKI, benignitate diuina Epiſcopum Poſnanienſem. *Carmen Sapphicum* RUDOLFI Uaſſerburgenſis. Adiunctum IONNNIS STOBNICENSIS, In CLAUDII PTOLEMEI Coſmographiam Introductioni; quae CRACOUIE à FLORIANO UNGLERIO excuſa eſt. Anno Domini M. D. XII. 4.

III.) Modum Epiſtolandi PHILIPPI BEROALDI Bononienſis, Uiri Clariſſimi. Additis quibusdam, ex Elegantiis IACOBI UIMPHELINGII, Epiſtole neceſſariis. Cum RUDOLFI Uaſſerburgenſis Prefatione, et Carmine Anapeſtico ad Ingenuum Lectorem: et Epitaphio PHILIPPI BEROALDI elegis confecto. Per FLORIANUM UNGLERIUM Calcographum. CRACOUIE. Anno partus ſalutiferi. 1512. 4.

IV.) ARISTOTELIS, Philoſophorum Peripatetice Familie Principis, Libros Tres De Anima: Noua et Antiqua Translatione Editos Per RUDOLFUM Uaſſerburgenſem, In Gymnaſio Cracouienſi. Impreſſos Per FLORIANUM UNGLERIUM Ciuem Cracouien. Anno Domini. 1512. 4.

V.) PROCLI DIADOCHI Opuſculum de Sphera, THOMA LINACRO Britanno Interprete. Cum RUDOLFI AGRICOLE Uaſſerburgen. Phalecio Carmine ad Pubem Litterariam: et Panegyri Elegiaca ad Uenerabilem Uirum, Magiſtrum NICOLAUM de *Czechinio*, Concionatorem Cremniczienſem. Impreſſum CRACOUIE per FLORIANUM UNGLERIUM. Anno uirginei partus M. D. XII. Tertio Nonas Iulias. 4.

VI.) AN-

vi.) ANTONII MANCINELLI Ueliterni, quam probiſſimi et doctiſſimi Uiri, de Componendis Uerſibus Opuſculum. Cum FRANCISCI MATURANTII Peruſini, et IOHANNIS SULPICII Uerulani Additionibus, Arti Carminum admodum neceſſariis. Quibus addita eſt PETRI SCHOTTI Argentinenſis, Lucubraciuncula de Menſuris Syllabarum. Praemiſſo Ad Iuventutem Studioſam RUDOLFI AGRICOLE Uaſſerburgenſis Carmine Elegiaco. Impreſſum à FLORIANO UNGLERIO. CRACOVIE. Anno Salutis Humane. 1513. 4.

vii.) ANTONII MANCINELLI Ueliterni, bene de litteris meriti, Opuſculum de Poetica Uirtute. Cum RUDOLFI AGRICOLE Uaſſerburgen. Endecaſyllabo ad Scolaſticam Iuventutem. Impreſſum CRACOUIE per FLORIANUM et UOLFGANGUM. Anno Sal. M. D. XIII. 4.

viii.) PHILIPPI BEROALDI Bononienſis, Uiri Diſertiſſimi Declamationem: an Orator ſit Philoſopho et Medico anteponendus. Cum RUDOLFI Uaſſerburgen. Endecaſyllabo ad Illuſtrem Uirum, CHRISTOPHORUM de SCHYDLOUIECZ Sandomirien. Caſtellanum et Regni Cancellarium. Impreſſum CRACOUIE per FLORIANUM UNGLERIUM. Anno Domini 1514. 4.

ix.) In Iurisprudentie Laudem: RUDOLFI Uaſſerburgenſis Elegiam. Adiectam Proceſſui Iudiciario Eximii Doctoris Iuris Canonici IOANNIS De URBACH; qui CRACOUIE, ex Officina FLORIANI UNGLERII, Curriculo uirginei partus 1514. 4. in lucem editus eſt.

x.) Modum Epiſtolandi IOANNIS AESTICAMPIANI. Cum RUDOLFI AGRICO-

LÆ Hydroburgii Rheti, ad MARCUM SCHARFFENBERGER, Bibliopolam Cracouienſem, AESTICAMPIANI quondam diſcipulum, Epiſtola: et Epitaphio IOANNIS AESTICAMPIANI, Viri erudititiſſimi, per RUDOLFUM AGRICOLAM Hydroburgium Rhetum, pie repoſito. Impreſſum per HIERONYMUM VIETOREM VIENNAE. 1515. Men. Mar. 4.

XI.) Divi ANSELMI, Archiepiſcopi Cantuarien. ELUCIDARIUM Dialogicum Theologiae Tripertitum: infinitarum Quaeſtionum reſolutivum. VADE MECUM. Cum RUDOLFI AGRICOLAE Iunioris ad Lectorem Elegia. Impreſſum VIENNAE per HIERONYMUM VIETOREM. Impenſis vero LEONARDI et LUCAE ALANTSEAE Fratrum. Anno vero CHRISTI 1515. Men. Iun. 4.

XII.) Orationem ad Reverendiſſimum in CHRISTO Patrem, Dominum PETRUM TOMITIUM, divina gratia Epiſcopum Premiſlienſem, et Regni Poloniae Vicecancellarium: per RUDOLFUM AGRICOLAM Iuniorem Rhetum die XVIII. Iul. Anno M. D. XV. Viennenſis Univerſitatis nomine habitam. Cum eiusdem Carmine Sapphico, ad Reverendum Dominum M. MICHAELEM VRATISLAVIENSEM: liberalium artium ac ſacrarum litterarum Doctorem in alma Univerſitate Cracovienſi, Divique FLORIANI Canonicum: Praeceptorem ſuum maxime colendum et obſervandum. Impreſſum VIENNAE AUSTRIAE per IOANNEM SINGRENIUM. 4.

XIII.) RUDOLFI AGRICOLAE Iunioris Rheti, ad IOACHIMUM VADIANUM Helvetium,

vetium, Epiſtolam de Locorum nonnullorum apud Autores veteres obſcuritate: cum IOACHIMI VADIANI Epiſtola reſponſoria. Impreſſum VIENNAE AUSTRIAE per IOANNEM SINGRENIUM. Anno Domini. M. D. XV. 4.

XIV.) AURELII PRUDENTII CATHEMERINON: hoc eſt: Diurnarum Rerum opus varium, et cùm linguae elegantia, tùm ſententiarum gravitate, frequenti lectione digniſſimum. Cuius ſingulis Odis, ſingulas Harmonias quatuor vocum, nunquam antea impreſſas, HIERONYMUS VIETOR Chalcographus, ſingulari diligentia emendatas, in Studioſorum communem utilitatem adiecit: componente aliquando eas, Domino WOLFGANGO GRAFINGER Pannone, Sacerdote muſices peritiſſimo. Cum RUDOLFI AGRICOLAE Rheti, ad Reverendum Dominum SEBASTIANUM SPERANTIUM, Decretorum Doctorem, et Praepoſitum Brixienſem, Caeſareaeque Maieſtatis atque Reverendiſſimi Domini Cardinalis Gurcenſis à Secretis, Praefatione. VIENNAE AUSTRIAE. Anno 1515. 4.

XV.) Ad Magnificum Dominum SIGISMUNDUM De HERBERSTAIN, Equitem Auratum, Conſiliarium et Oratorem Invictiſſimi Caeſaris MAXIMILIANI. Ad Victorioſiſſimum SIGISMUNDUM Poloniae Regem, &c. Et Magnum Moſchorum Ducem. RUDOLFI AGRICOLAE Iunioris, Poëtae à Caeſare Laureati, Congratulationem. Scriptam hexametris verſibus. Annexam IOANNIS DANTISCI, ad eundem SIGISMUNDUM DE HERBERSTAIN, SOTERIIS: quae CRACOVIAE ex Aedibus IOANNIS HALLER

IIII Fe-

IIII Februarii. Anno M. D. XVIII. forma 4. prodiere.

XVI.) Phiſionomiam hinc inde ex illuſtribus ſcriptoribus: per venerabilem virum, Magiſtrum IOANNEM GLOGOVIENSEM, diligentiſſime recollectam. Cum RUDOLPHI AGRICOLAE Iunioris, Poëtae à Caeſare Laureati, Elegidio,: atque Epiſtolio, ad ANDREAM Carduczium, ALEXANDRUM Ex Bario, CAMILLUM Lampugnanum, VESPASIANUM Doctulam, FERDINANDUM Carlinum, ASCANIUM Muſitanum, Sereniſſimae Dominae BONAE Reginae Poloniae à miniſterio, Diſcipulos nunquam poenitendos. Impreſſam CRACOVIAE per HIERONYMVM VIETOREM ſuis expenſis. Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo. decimo octavo. Menſe vero Iulii. die ſeptimo. 4.

XVII.) CRATETIS THEBANI, Cynici Philoſophi, Epiſtolas aureis ſententiis refertas, Theologiae conſentaneas. Adjectis praeclaris Philoſophorum quorundam Cynicorum ſententiis. Et CRATETIS Cynici vita, per RUDOLPHUM AGRICOLAM Iuniorem. Cum Carmine eiusdem RUDOLPHI, de Miſeria Vitae Humanae: et Epiſtolio, ad IOANNEM et STANISLAUM KONARSKI, famigeratae nobilitatis, Reverendiſſimique Domini, Domini IOANNIS KONARSKI, Epiſcopi Cracovienſis Nepotes, optimaeque ſpei Diſcipulos. Impreſſum CRACOVIAE per HIERONYMUM VIETOREM. Anno partus virginei 1518. Menſe Decembris. 4.

XVIII.) Aliquot Epiſtolas Divi EUSEBII HIERONYMI Stridonenſis, refertas ſaluberrimis praeceptis, ad Vitam recte inſtituendam mire facientes,

ac

ac ab ERASMO ROTERODAMO priſtinae integritati reſtitutas. Cum RUDOLPHI AGRICOLAE Iunioris Elegia, in Laudem operum Divi HIERONYMI. Apud Inclytam Poloniae CRACOVIAM. Typis VIETORIS. Anno ab orbe redempto. M.D.XIX. 4.

XIX.) Tractatum Sacerdotalem De Sacramentis, Deque Divinis Officiis. Et Eorum Adminiſtrationibus. Compoſitum per Venerabilem NICOLAUM de *Plowe*, Decretorum Doctorem. Dedicatum Reverendiſſimo in CHRISTO Patri et Domino, Domino PETRO TOMITIO, Epiſcopo Premiſlienſi, et Regni Poloniae Vicecancellario, Domino et Patrono ſuo colendiſſimo: per RUDOLPHUM AGRICOLAM Iuniorem, Poëtam à Caeſare Laureatum. Impreſſum CRACOVIAE in Aedibus providi viri Domini IOANNIS HALLER. Anno 1519. 4.

XX.) RESOLUTORIUM DUBIORUM, circa celebrationem Miſſarum, occurrentium. Per venearbilem dominum IOHANNEM à LAPIDE, Doctorem Theologorum Pariſienſem: Ordinis Cartuſienſis: ex ſacrorum canonum, probatorumque Doctorum ſententiis, diligenter collectum. Cum RUDOLPHI AGRICOLAE Iunioris, ad Reverendiſſimum Dominum, Dominum IOHANNEM KONARSKI, divino nutu Epiſcopum Cracovienſem, Dominum et Patronum omnium colendiſſimum, Epiſtola. Impreſſum CRACOVIAE per HIERONYMVM Philovallem VIETOREM. Apud MARCUM SCHARFFENBERGER civem et bibliopolam Cracovienſem. Anno partus ſalutiferi: Milleſimo Quingenteſimo. decimo nono. Primo die Menſis Februarii. 4.

XXI.) HY-

XXI.) HYMNUM, DE DIVO PRAESULE ET MARTYRE STANISLAO, TUTELARI POLONIAE PATRONO: PER RUDOLPHUM AGRICOLAM, POETAM A CAESARE LAUREATUM. Illuſtri et Magnifico Domino CHRISTOPHORO de SCHYDLOWIECZ, Palatino et Capitaneo Cracovienſi, Regnique ſummo Cancellario, faventiſſimo Studioſorum Maecenati dicatum. Impreſſum per HIERONYMUM VIETOREM. CRACOVIAE. Anno Domini 1519. v. Kalendas Auguſti. 4.

XXII.) PASSIONEM DOMINICAM, per ſeptem Horas Canonicas diſtributam: elegantiſſimisque vario Carminum genere conflatis, Hymnis, Antiphonis, et ſacra devotione plenis Orationibus conſcriptam. Adjectis quibusdam in margine Scholiis, et Carminum Appellationibus, per RUDOLPHUM AGRICOLAM Iuniorem, Poëtam et Oratorem à Caeſare Laureatum. Additisque: De Conceptione Intemeratae MARIAE Virginis: duobus Hymnis, per eundem RUDOL. Impreſſum CRACOVIAE per HIERONYMUM VIETOREM. Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo. Die decimo Martii. 4.

III.

STANISLAVS AICHLER, GLANDINVS Latina appellatione, Cracoviae natus eſt, ingenuisque artibus ac diſciplinis bene eruditus. Parentis ſui, Conſularis viri conſenſione, peregrinanti illuſtri juveni, IOANNI BONERO, Biecenſis Caſtellani, SEVERINI filio, comitem ſeſe adiunxit. Friburgi Briſgoiae

goiae litterarum lumen, ERASMVM Roterodamum, cognovit familiarissime. Lutetiae autem Parisiorum, GVLIELMI BVDAEI, magni sane hominis, deque eruditionis principatu cum ERASMO contendentis, singularem erga se expertus est benevolentiam atque amorem. Bononiae, Praesulem illius urbis LAVRENTIVM CAMPEGIVM Cardinalem, doctrinae virtutisque laudibus celebratissimum, nactus fautorem. Eoque coram, iuris utriusque Doctoris insignia consecutus. Redux, patriae urbis Senatui, scribendis epistolis Latinis, pietatem suam, fidemque, et prudentiam probavit. Civiumque causas in Curia Regia gnaviter ac feliciter egit. Quo denique factum est, ut ingenti totius civitatis laetitia, supremi iuris Magdeburgensis, in Vrbe Cracoviensi, Judicii Advocatus Provincialis crearetur. Acceptus mirum in modum fuit, THOMAE SOBOCIO, Regni Cancellario, ac Burggravio Cracoviensi. Ab eoque ad graviora Reipublicae negotia expedienda adhibitus. Nec minus, apud Cracoviensium Palatinum, Regnique Mareschalcum, PETRVM KMITAM, gratia valuit, atque auctoritate. Huiusque auspicio: POMPONII LÆTI, De Romanorum Magistratibus, Sacerdotiis, Iurisperitis, Et Legibus, Ad M. PANTAGATHVM, Libellum: eruditis annotatiunculis suis conspersum, CRACOVIÆ apud Viduam

FLORIA-

FLORIANI VNGLERII, Anno CHRISTI MDXLIV. XI. Kal. Octobris, forma 4. typis pulcherrimis exſcribendum curavit. Quinquennio ante: Epithalamium ISABELLAE, Florentiſſimae Filiae Sereniſſimi Regis Poloniae SIGISMVNDI, Ad Sereniſſimum Maritum IOANNEM Vngariae Regem Proficiſcentis, hexametris compoſitum; additis binis, Ad Eandem ISABELLAM, Pannoniae Reginam, Elegidiis; praemiſſoque, Ad Reverendum D. SAMVELEM MACZIEIOWSKI, Decanum Cracovien. Regni Pol. Secret. Epigrammate. CRACOVIÆ ex Officina Typographica HIERONYMI VIETORIS, forma 4 majori, publicam in lucem protulit. Fecitque eodem tempore: Ad DANTISCI Muſam, quam ipſe lepide atque eleganter vetulam fingit, Epigramma. Etiam alterum, Ad Lectorem Ampliſſimi Illius Auctoris, concinnavit. Hexaſtichon denique, atque Tetraſtichon, Ad Iuvenes, ſpeciatim ſcripſit. Conjunctim ea praemiſſa ſunt, IOANNIS DANTISCI, Epiſcopi Varmien. CARMINI PARÆNETICO. CRACOVIAE apud HIERONYMVM VIETOREM Idibus Auguſti. Anno M. D. XXXIX. forma 4 majori, divulgato. Exſtant et trina huius AICHLERI Epigrammata, in maximi herois, HIERONYMI LASCII, Siradiae Palatini, acerbiſſimum interitum ſcripta, PANNONIAEQVE LVCTVI, QVO PRINCIPVM ALIQVOT ET INSIGNIVM VIRORVM MORTES, ALIIQVE FVNESTI CASVS DEPLORANTVR, immiſta.

IV.

IV.

MARCVS AMBROSIVS, Polonus natione, editus in lucem hanc eſt Oſtrorogi, clariſſimorum Comitum OSTROROGORVM ſede vetuſtiſſima. Lutetiae Pariſiorum ſtuduit humanioribus litteris. Edidit et ibi, omiſſa loci ac temporis ſignificatione, ARMA SIVE INSIGNIA REGNI POLONIÆ, EIVSQVE PRÆCIPVARVM FAMILIARVM, forma 8 maiori. Obtulitque electo tunc Polonorum Regi, HENRICO PRIMO VALESIO. Leve eſt opuſculum. Exhibet enim Regni Polonici, eiusque provinciarum, et palatinatuum, et terrarum, familiarumque inſignia, a chalcographo rudi facta: nulla addita expoſitione. Eſt autem ſupra fidem rarum. Kiovienſium Praeſul, IOSEPHVS Comes ZALVSCIVS, Polonorum noſtra aetate, in omni genere ſtudiorum, eminentiſſimus: primusque ipſe in patria ſua bibliothecae publicae conditor: annorum fere triginta ſpatio, toto orbe terrarum litteris exculto, libellum hunc fruſtra quaeſivit. Extremo demum tempore, cum Pariſiis iterum eſſet, in Bibliotheca PATRVM ORATORII in via S. HONORATI, exemplar illud invenit, quod HENRICO Regi, ab Auctore ipſo, olim fuerat porrectum. Datoque nummo aureo, Antiſtes cu-

pidiſſimus, a poſſeſſoribus obtinuit. Reperiri AMBROSII opuſculum Oxonii, in publica Bibliotheca Academica, a THOMA BODLEIO Equite Aurato condita; in CATALOGO eiusdem BIBLIOTHECÆ, p. 25, THOMAS HYDE Protobibliothecarius nos edocet.

V.

STANISLAVS AMICINVS Cracovienſis, poëta mediocris fuit. Scripſit ille longiſſimam Elegiam, in ſollennem Electionem, Adventumque in Poloniam feliciſſimum, nec non Ingreſſum totius Sarmatiae Metropolim Cracoviam magnificentiſſimum, Sereniſſimi ac Potentiſſimi, Principis ac Domini, D. HENRICI VALESII, Dei gratia Regis Poloniae, Magnique Ducis Lituaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Samogitiae, Livoniae, &c. nec non Andium, Borboniorum, Alvernorumque Ducis, &c. Domini Clementiſſimi. Fecitque: In celeberrimam Coronationem, Eiusdem Sereniſſimi Principis et Domini, D. HENRICI VALESII, Dei gratia Regis Poloniae: Parodiam Virgilianam, in novem Muſas diſtributam. Prodiit utrumque carmen CRACOVIÆ, ex Officina STANISLAI SCHARFFENBERGII. Anno 1574. forma 4.

VI.

GEORGIVS CASIMIRVS ANCVTA: Lituanorum ſaeculo illo decus ſingulare: Magni

Magni Lituaniae Ducatus Referendarius, ſimulque Proëpiſcopus Vilnenſis atque Primicerius Cathedralis eiusdem Eccleſiae fuit. Inque Vilnenſis Epiſcopi, CONSTANTINI CASIMIRI BRZOSTOWSCII, ingenii atque animi vigore, doctrinaeque copia, atque prudentiae vi, rerumque maximarum uſu et experimentis praeſtantiſſimi, amicitia ac familiaritate locum haud poſtremum tenuit. Prodibat anno MDCCXVIII, in aſpectum omnium: Libellus Supplex, Sereniſſimo et Potentiſſimo Principi ac Domino, D. AVGVSTO II, D. G. Regi Poloniae, Magno Duci Lituaniae, &c. &c. &c. ut et Congregatis in Comitiis Regni, Anno 1718, Illuſtriſſimis Reipublicae Ordinibus, humillimè et reverenter exhibitus, à Diſſidentibus in Religione Chriſtiana, in Regno Poloniae, et Magno Ducatu Lituaniae. Reducebantur etiam in medium: Iura et Libertates Diſſidentium in Religione Chriſtiana, in Regno Poloniae, et M. D. Lituaniae, ex Legibus Regni, et aliis Monumentis authenticis, excerpta: adjecto Privilegiorum ac Conſtitutionum Supplemento. Scriptis his, ANCVTA ille, mira celeritate, librum memorabilem oppoſuit, cui is titulus: IVS PLENVM RELIGIONIS CATHOLICÆ, IN REGNO POLONIÆ, ET MAGNO DVCATV LITVANIÆ. Iuri praetenſo Diſſidentium, in Supplici Libello, et Supplemento Privilegiorum: ad Comitia Generalia congregatis Ordinibus praeſentato Grodnae Anno 1718: oppoſitum. Demonſtrans:

 nullam

nullam Diſſidentes habere capacitatem activae et paſſivae vocis, in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lituaniae. VILNÆ, TYPIS VNIVERSITATIS SOC. IESV. ANNO MDCCXIX. 8. Commovit hicce liber Gentem utramque, incredibilem in modum. Effecitque ſubito, ut in Grodnenſibus Comitiis illis, Vielunenſis Terrae Legato, ANDREÆ PIOTROVIO, ob Reformatorum religionem, cui ille addictus erat, poteſtas cenſendi denegaretur. Ex eoque tempore, Diſſidentibus de religione, et ad Comitia Regni generalia, et ad Terrarum Conventus minores, muniaque publica omnia, aditus omnis ademtus eſt. Ingenium ANCVTÆ huic inerat acutiſſimum, multaque et eruditio, et patriarum legum conſuetudinumque ſcientia. Eratque ipſe, Eccleſiae atque Reipublicae negotiis, exercitatus bene. In conficiendo autem opere illo, adiutorium ei fecit maxime STANISLAVS SOKVLSKI, Societatis IESV Theologus, per ea tempora clariſſimus. Provectus iam aetate ANCVTA is, AVGVSTO II Polonorum Regi, ante Lituanos alios fuit commendatiſſimus. Ab eoque Principe, Vilnenſium tum Antiſtiti, CAROLO PETRO PANCERZYNSCIO, Epiſcopatus illius Coadjutor, cum futurae ſucceſſionis iure, adiunctus eſt. A BENEDICTO XIII. Romanorum Pontifice Maximo, Praeſulis Antipatrenſis honorem accepit.

Morte

Morte tamen praereptus eſt, ante PANCERZYNSCII Epiſcopi Vilnenſis obitum, anno MDCCXXIX. Eius liber, temporibus noſtris, inventu eſt perdifficilis.

VII.

MATHIAS IOSEPHVS ANCVTA, Vilnenſis Proëpiſcopus: GEORGII CASIMIRI frater maior natu: a BRZOSTOWSCIO Epiſcopo amatus inprimis eſt, et ad conſilia arcana adhibitus. Ab ipſoque, AVGVSTI II. Regis, atque INNOCENTII XIII Pontificis Maximi conceſſione, Epiſcopatus ſui Coadjutor adſcitus. BRZOSTOWSCIO autem demortuo, ANCVTA è numero mortalium prius eſt exemtus, quam potuerit Epiſcopatus regimen rite ſuſcipere. Librariam ſupellectilem ſuam, priſcis Eccleſiae auctoribus inſtructiſſimam, GEORGIO CASIMIRO fratri ſuo legavit, ſub ea conditione, ut curaret ipſam poſt fata ſua, Vilnenſi Bibliothecae Academicae inſerendam. Quam voluntatem frater ille praeſtitit iuſtiſſime.

VIII.

TRANQVILLVS ANDRONICVS Dalmata, artibus ingenuis, et elegantiori omni doctrina ornatiſſimus: peragratis aliis regnis, ſtudiorum cultura florentiſſimis: anni MDXLIV exitu, in Poloniam delatus, maximisque in Republica, ac doctiſſimis viris,

intima familiaritate conjunctus fuit. Posnaniae, pulcherrima ac nobilissima Poloniae Maioris urbe, trimestri spatio diutius commoratus, atque a generali Provinciae illius Praefecto, ANDREA Comite GORCA, incredibili humanitate et benevolentia complexus, lectissimaque ipsius bibliotheca libere usus, primos dies continuos lectioni PLATONIS et ARISTOTELIS dedit, ut aliqua ex parte revocaret in memoriam studia philosophiae, longissimo tempore intermissa. Composuitque tunc, dignum gravitatis atque libertatis admiratione, DIALOGVM: PHILOSOPHANDVM NE SIT? qui opulenti ac sapientis viri, litterarumque atque litteratorum peramantis, SEVERINI BONERI, Castellani Biecensis, ac Magni Procuratoris Cracoviensis, nomini inscriptus, anno MDXLV exoriente. CRACOVIAE EX OFFICINA HIERONIMI VIETORIS. forma 4, in lucem prodiit. Incipiente vere eiusdem anni, ad Cracoviensium Castellanum IOANNEM Comitem TARNOWSCIVM, prope Regiam, rure commorantem profectus, per illud breve tempus, quo apud ipsum fuit, horis subsicivis acre scriptum concinnavit, et VIETORI forma 4 publicandum tradidit, cui titulus: AD OPTIMATES POLONOS ADMONITIO. Idque, ANDREÆ Comiti GORCÆ, Posnaniensium Castellano, ac summo Poloniae Maioris Praefecto, in amoris

amoris ſui, gratitudinisque ſpecimen dicavit.

IX.

FR. ANSELMVS, Ordinis Minorum Obſervantium, e Provincia Polona, ſub ipſum ſaeculi XVI initium, Cracoviae concionandi laude floruit. Superiorum iuſſu, Hieroſolymis in Eccleſia S. SEPVLCRI DOMINI, ab anni MDVII exitu, ad finem anni MDVIII, Poenitentiarii munere functus eſt. Reverſus inde, parvum opuſculum compoſuit, cui titulus: Terre Sancte Et Urbis Hieruſalem Apertior Deſcriptio. Idque cum doctiſſimo viro, eaque aetate clariſſimo, IOANNE de STOBNICZA, communicavit: qui, Auctoris conceſſu, ſuae IN CLAUDII PTOLEMEI Coſmographiam Introductioni adjecit, CRACOUIE que, per FLORIANVM UNGLERIUM, Anno Domini M.D.XII. forma 4, publicavit. HENRICVS CANISIVS, antiquitatis, veterumque ſcriptorum peritiſſimus, ANTIQVÆ LECTIONIS Tomo VI, p. 1287 — 1320, ANSELMI librum, quaſi nondum editum, inſeruit. Ac IACOBVS BASNAGIVS, eruditiſſimus homo, et litteratiſſimus, in recentioris Editionis, quae THESAVRVS MONVMENTORVM ECCLESIASTICORVM ET HISTORICORVM inſcribitur, Tomo IV, p. 776 — 794, repetiit, praemiſſa critica ſua animadverſione.

X.

IOANNES ANTONINVS, Caſſoviae, pernobili Hungariae ſuperioris urbe, parentibus valde honeſtis eſt genitus, ac puerili doctrina haud leviter imbutus. Cracoviae autem, MICHAELE VRATISLAVIENSI, atque RVDOLPHO AGRICOLA, magiſtris uſus, altiora ſtudia percepit. Patavii, triennio toto, noctes et dies in medica arte verſatus eſt: Doctorisque Medici honorem magno applauſu adeptus. Revertens inde per nobiliores Germaniae regiones, magnum illum humaniorum ſtudiorum vindicem, ac praecipuum inſtauratorem DESIDERIVM ERASMVM Roterodamum, Baſileae inviſit. Suavitateque ingenii, atque animi praeſtantia, et integritate, arcte adeo ſe inſinuavit in eius familiaritatem ac conſuetudinem, vt cum magno dolore ab ipſo dimitteretur. Redditus autem Poloniae, maximo optimoque Antiſtiti, PETRO TOMICIO, Epiſcopo Cracovienſi, ac Regni Procancellario, gravi tunc, perniciabilique morbo languenti, eximium ac ſalubre remedium obtulit. Liberaliſſime ab eo eſt remuneratus, reliquoque omni vitae tempore, pro merito dilectus. Illiusque opera in Regiorum Medicorum numerum aggregatus. ANTONINVS ille, juvenili aetate, IOANNIS DVBRAVII, Bohemorum

rum ingeniosissimi et eruditissimi, Pöema, quod CONCILIVM ANIMALIVM inscribitur: addita facunda, Ad Clarissimum Dominum IACOBVM de ARCISZEWO, Artium et Iuris Pontificii Doctorem, Canonicum Cathedralis Ecclesiae Cracovien. Gymnasiique Cracoviensis Principem, EPISTOLA. CRACOVIAE, apud FLORIANVM VNGLERIVM, XV. Calendarum Maii. Anno Domini M. D. XXI. forma 4, in Polonorum litteratorum protulit conspectum. Fecitque ipse, In ANTONIVM Patrem suum, Inque Paternos Amicos, Epigrammata, quibus locus datus, in PANNONIÆ LVCTV, QVO PRINCIPVM ALIQVOT, ET INSIGNIVM VIRORVM MORTES ALIIQVE FVNESTI CASVS DEPLORANTVR. Maturus annis, operosum carmen: DE TVENDA BONA VALETVDINE. Ad PETRVM TOMICIVM, Pontificem Cracoviensem, Regnique Poloniae Cancellarium, Immortalitate Dignissimum, hexametris scriptum. CRACOVIÆ. Ex Officina HIERONYMI VIETORIS, Regiae Cancellariae Chalcographi. XI. Cal. Novemb. ANNO A CHRISTO NATO. MDXXXV. forma 4 maiori, palam emisit. Defunctumque paucis post diebus incomparabilem eum Praesulem, copiosa luxit Elegia, typis eiusdem VIETORIS, consimiliter excusa. Planxit et magnum ERASMVM Roterodamum, anno proxime sequenti ablatum, pari carmine: quod VNGLERII formulis impressum est. Mutuae olim, inter TO-

MICIVM, atque ERASMVM fiduciae, commerciique epiſtolarum, ANTONINVS ille conciliator fuit. Condiſcipulos atque amicos habuit, GEORGIVM WERNERVM Hungarum, IOANNEMque LANGVM Sileſium, et VALENTINVM ECKIVM Rhaetum, politiori litteratura, ac poëtica facultate praeſtantes. Amavit, vt fratrem, CLEMENTEM IANICIVM, Poëtam maximum. Medendaeque ipſius valetudini, leniendoque dolori, incredibilem curam ac diligentiam adhibuit. Efflantique animam affuit non ſine lacrymis. Praemium ab ipſo tulit perenne, elegantem profecto, dulcemque, et ſuavem Elegiam, quae eius TRISTIBVS inſerta exſtat.

XI.

SIMON SIMONIDES BENDONSKI, vide SIMONIDES VOL. II.

SIMON BRZEZINENSIS, a loco natali * ſic cognominatus, aetatis ſuae conſuetudine. Natus enim Breſini fuit, Maſoviae Ducatus oppido: Latinis autem atque Graecis litteris, civilisque iuris prudentia, et arte

* VRSINVS commemoratam dedicationem ita inſcripſit: CLARISSIMO ET DOCTISSIMO DOMINO SIMONI MAGISTRO BRZEZINEN. VIRO CONSVLARI LEOPOL. DOMINO SVO. BARTHOLOMÆVS autem ZIMOROWICIVS, Conſul Leopolienſis litteratiſſimus, in edito peculiari: DE VIRIS ILLVSTRIBVS CIVITATIS LEOPOLIENSIS, METROPOLIS RVSSIÆ: opuſculo, p. 19, SIMONEM BRZEZINENSEM produxit Vrbis huius Conſulem; cui SIMONEM SIMONIDEM, filium ipſius, aſſociavit.

arte justitiae, in Cracoviensi Academia tam perfecte eruditus; vt Leopoliensis civitas, Roxolanicarum omnium amplissima, opibusque atque ingenuis disciplinis celeberrima, dignum ipsum existimaverit, quem in Senatorium ordinem cooptaret. Dedicavit ipsi IOANNES VRSINVS Leopoliensis, auctor non ignobilis, GRAMMATICAM METHODICAM suam, epistola copiosa et diserta. Laudavitque luculentam eius Bibliothecam, omni genere illustrium totius orbis ingeniorum monumentis refertam: qua ipse, in concinnando opusculo illo, usus fuerit optime. Gloriae tamen maximae id ipsi fore putavit, quod SIMONEM SIMONIDEM, dignissimum se patre filium, sic educaverit, vt illustre exstet exemplar omnibus parentibus: quales filios sibi exoptare, et quo pacto, si exoptent, eos instituere oporteat. De filio illo, Polonorum PINDARO, dicemus loco suo.

XII.

ADAMVS BVRSIVS, in veterum Philosophorum disciplinis, tum viva voce docendis, tum scriptionibus suis illustrandis, praecipuam operam posuit. Conterraneus *

SIMO-

* A SIMONE STAROVOLSCIO, in ELOGIIS ET VITIS ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM, Edit. Venet p. 169. ADAMVS ille BVRSIVS, Patria Bresinensis, recte dictus est. In nostra RELATIONE, DE LIBRIS RARIORIBVS POLONICIS, QVI IN ZALVSCIANA BIBLIOTHECA REPERIVNTVR, P. I. p. 49. typographi culpa, in Brestensem conversus.

SIMONIS BRZEZINENSIS, eiusque ex ſorore nepos fuit. Isque in Leopolienſi Roxolanorum Lyceo eas litteras didicit, quibus aetas iuvenilis ſolet ad humanitatem informari. Miſſus eſt inde Cracoviam, ut ſublimioris ſcientiae ſtudio vacaret. Quod cum egregie praeſtitiſſet, condecoratus eſt Laurea philoſophica. In eademque Academia munus philoſophiae tradendae obtinuit. Leopolim tamen, avunculi ſui graviſſimi perſuaſu et inductu, reverſus eſt. Urbisque illius Gymnaſio, a prudenti Senatu, muſisque amiciſſimo, eſt praepoſitus. Interea temporis IOANNES ZAMOSCIVS, ſapientiſſimus Poloniae Cancellarius, idemque invictiſſimus in Regno illo exercituum Dux Praefectusque, in urbe, quam excitaverat ipſe, a ſuoque nomine Zamoſcium vocarat, Academiam condidit. Eoque invitavit BVRSIVM, ut ſtudioſae iuventuti nobiliori, univerſae philoſophiae partes, ex veterum, ARISTOTELIS praecipue, ſententia explicaret. Quae res vehementer ad illius laudem pertinere videtur, propterea quod conſtat, Magnum illum ZAMOSCIVM doctiſſimos quosque viros, quibus eum honorem tribueret, delegiſſe. Fuit hicce BVRSIVS in veterum Philoſophorum lectione mirifice verſatus. Graecae linguae, ſuo tempore, omnium periſſimus: cultorque diligentiſſimus exſtitit.

Plu-

Plures enim in Zamoſcenſi Academia Graecas habuit declamationes. Carus ZAMOSCIO ipſi fuit in paucis. A quo dignus eſt iudicatus, cui, quae ipſe olim adoleſcens, de Stoicorum dogmatis dialecticis, ad CICERONEM illuſtrandum collegiſſet, augenda, diſponenda, polienda, elimandaque committeret. A conſobrino ſuo, SIMONE SIMONIDE, ZAMOSCII intimo, dilectus eſt ardentiſſime: iambisque ornatus venuſtiſſimis. Memoriam ſui immortalem ipſe reddidit opere illo eruditiſſimo, quod hunc in modum inſcribitur: DIALECTICA CICERONIS, QVÆ DISPERSE IN SCRIPTIS RELIQVIT, MAXIME EX STOICORVM SENTENTIA. CVM COMMENTARIIS, QVIBVS EA PARTIM SVPPLENTVR, PARTIM ILLVSTRANTVR. Opus non ſolum ad intelligenda CICERONIS ſcripta, ſed etiam multorum veterum auctorum, ac in his Theologorum, Iuriſconſultorum, Medicorum, ac Philoſophorum, inprimis utile. ADAMVS BVRSIVS ACADEMIAE SAMOSCIENSIS PROFESSOR COMPOSVIT. CVM PRIVIL. PONT. SANCTIT. ET MAIESTATIS REGIAE. SAMOSCI MARTINVS LENSCIVS, ACAD. TYPOGR. EXCVDEBAT ANNO DOMINI M. DC. IV. forma 4. Editum opus hoc eſt, vivo adhuc ZAMOSCIO Magno. A IVSTO LIPSIO, ſtudiis veteris doctrinae tunc principe, in exarata ad SIMONIDEM Epiſtola

** mag-

** magnopere laudatum. Admodum infrequens doctis hominibus externis eſt. Polonis, noſtra aetate, ne cognitum quidem. Exſtinctum ZAMOSCIVM, heroëm divinum, BVRSIVS proſecutus eſt oratione nobiliſſima. Qua ille omnia, quaecunque a ZAMOSCIO, pro Regum ſuorum maieſtate, atque Civium incolumitate, totiusque Reipublicae ſalute, tam praeclare, tamque glorioſe geſta ſunt, concinne et eleganter complexus eſt. Prodiit haec ſic inſcripta: ORATIO FVNEBRIS IN ANNIVERSARIO DEPOSITIONIS ILLVSTRISSIMI IOANNIS ZAMOSCII, REGNI POLONIÆ CANCELLARII, ET EXERCITVVM DVCIS GENERALIS. ETC. AB ADAMO BVRSIO, ACADEMIÆ SAMOSCIEN. PROFESSORE, HABITA IVNII V. A. D. MDCVI. SAMOSCI MARTINVS LENSCIVS TYPOGRAPHVS ACADEMICVS EXCVDEBAT, ANNO EODEM. forma 4. Adiecta etiam eſt, SIMONIS SIMONIDÆ POEMATIIS AVREIS, quae IOACHIMI MORSI cura, LVGD. BATAV. typis IACOBI MARCI, anno poſt C. N. clↄ. Iↄ. c. XIX. forma 12, ſunt exſcripta. A MOR-

** Inſerta IVSTI LIPSII, EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIÆ QVINTÆ MISCELLANEÆ POSTHVMÆ; quae ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA, apud Viduam et Filios IOANNIS MORETI. clↄ. Iↄ. c. XI. forma 4. maiori, in lucem prodiit, p. 56. ſq.

MORSIO inditus orationi eſt titulus ille: VITA ET OBITVS ILLVSTRISSIMI HEROIS, IOANNIS SAMOSCII, REGNI POLONIÆ CANCELLARII SVPREMI, ET EXERCITVVM DVCIS GENERALIS, AVCTORE ADAMO BVRSIO. Rariſſima editio utraque eſt. BVRSII orationes Graecae in lucem nunquam exierunt. Servantur, in ZALVSCIANO muſeo, calamo deſcriptae. Eſt hic ipſe BVRSIVS, qui SIGISMVNDI III, Regis doctiſſimi atque prudentiſſimi iuſſu, illam nitidiſſimam IVRIS PROVINCIALIS, QVOD SPECVLVM SAXONVM VULGO NVNCVPATVR, editionem adornavit; quae SAMOSCI, anno Domini M. DC. II. e Typographeo Academico, folii magnitudine, in publicum eſt progreſſa. Quam, litteraturae Polonicae monumentis rariſſimis, iure annumeraveris.

XIII.

IOANNES CAMPENSIS, Grammaticus ille Hebraicus clariſſimus, ad inſtituendam Polonicam iuventutem, a Cracovienſi Praeſule, PETRO TOMICIO, crebris litteris, magnisque propoſitis praemiis invitatus, anni MDXXXIV initio, Cracoviam venit. Unde, vix uno alterove menſe tranſacto, obtinendi purpurei galeri ſpe falſa inductus, Romam diſceſſit.

Cra-

Cracoviae proprium ſuum: Commentariolum, in duas Divi PAVLI Epiſtolas, ſed Argumenti eiusdem; alteram ad Romanos; alteram ad Galatas. E typographeo MATHIAE SCHARFFENBERGII. XXVII Februarii. Anno MDXXXIV. forma 8, in lucem exire iuſſit: praemiſſa, Ad Reverendiſſimum, et trium linguarum peritiſſimum Patrem, HIERONYMVM ALEANDRVM, Archiepiſcopum Brundiſinum, &c. Summi Pontificis apud Venetos Legatum, Epiſtola, non ſine honorifica mentione PETRI TOMICII, Cracovienſis Epiſcopi. quo integriorem, prudentiorem, et ſtudioſorum amantiorem, vivere nusquam putat. Libellum etiam, De Natura Litterarum Et Punctorum Hebraicorum; aliisque ad exactam grammaticen, Chriſtianis, et neotericis Iudeis hucusque incognitam, neceſſariis, ex variis opuſculis ELIĘ Iudęi, grammaticorum omnium facile principis, concinnatum: ac R. D. PETRO TOMITIO, Epiſcopo Cracovienſi, et Regni Polonię Vicecancellario, dedicatum. XX Aprilis. Anno Domini MDXXXIV. typis itidem SCHARFFENBERGIANIS, eademque forma, vulgavit. Binis annis ante, Norimbergae, Culmenſium Epiſcopo, Regisque SIGISMVNDI Senioris, apud Caeſaream Maieſtatem Oratori, IOANNI DANTISCO, Pſalmorum Omnium, iuxta Hebraicam veritatem, Paraphraſticam Interpretationem, apud IOANNEM PETREIVM, forma 8 excuſam, obtulit. Quam doctiſſimus ille Antiſtes perblande ac benigne accepit, adjecto-

jectoque ſuo in eandem paraphraſim Epigrammate, Cracoviae, FLORIANI VNGLERII typis, denuo exſcribendam mandavit.

XIV.

IOANNES CERVVS, Tucholia, Poloniae Minoris oppido, natales duxit. Imberbis iuvenis Cracovienſem Academiam adiit. Dicendi artem a RVDOLPHO AGRICOLA: philoſophiam autem omnem, atque theologiam à MICHAELE VRATISLAVIENSI diligenter admodum percepit. Maiorem tamen operam et curam poſuit in pontificii civilisque iuris cognitione: STANISLAO SROLA CASIMIRIENSI, uſus et ſuaſore, et praeceptore. Cui ſua ſtudia, ſuosque mores adeo probavit, vt ab ipſo haberetur prope iam in filii loco, maximisque afficeretur beneficiis. Ab eoque, Ciſtercienſis Ordinis Abbati Andreovienſi, ALBERTO, prudentiſſimo et integerrimo viro, intime commendatus, ſacras litteras canonesque interpretandi munus, in coenobio illo obtinuit. Honeſto inde ſtipendio, a Cracovienſium Praeſule, PETRO TOMICIO, in Academiam retractus, ius civile et provinciale Saxonicum, municipaleque Magdeburgenſe, publice explicuit. Aſſentiente denique Maecenate illo munificentiſſimo, Leopolienſis Gymnaſii moderamen

ſuſcepit. A ſtudioſa ibi iuventute valde obſervatus, et cultus, et dilectus: atque ab Urbis illius Senatu humaniſſime ac liberaliſſime habitus, primarioque Sacerdotio condecoratus, oblatum ſibi in Regia Curia munus neglexit. Summo in honore et gratia fuit, apud BERNARDVM WILCZEK, Archipraeſulem Leopolienſem, qui eius conſilio dexteritateque in Eccleſiae ſuae negotiis plurimum uſus eſt. Jucundiſſimus autem, familiaritateque omnium coniunctiſſimus, Leopolienſis Terrae Judici, PAVLO TARLONI. A quo ſingularibus praemiis fuit ornatus, ac fratribus ſuis germanis, gloria militari clariſſimis, Regiaeque Maieſtati acceptiſſimis, maiorem in modum conciliatus. Exſtant in publico ZALVSCIORVM muſeo, haec opera, à CERVO palam edita:

I.) DE MORIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE, DIUI AUREL. AUGUSTINI HIPPONEN. EPISCOPI LIBER I. Sub Auſpicio Reuerendiſſimi Domini PETRI TOMICII, Antiſtitis Cracouien. Editus per IOANNEM CERUUM Tucholien. Eiusdem CELSITUDINIS Servitorem Minimum. CRACOUIAE IN OFEICINA FLORIANI VNGLERII. ANNO DOMINI M. D. XXX. DIE XII MENSIS IUNII. forma 4.

II.) FARRAGO ACTIONUM CIUILIUM IURIS MAYDEBURGENSIS: SECUNDUM CONSUETUDINEM IAMDUDUM IN REGNO POLONIAE OBSERUATAM, NUNC PRIMUM AD COMMU-

NEM

NEM UTILITATEM EXCUSA. Tota Farrago tribus abſoluitur partibus. Prima de controuerſiis actionum et earum inſcriptione. Secunda de pactis negociorum ac item eorum inſcriptione. Tertia de notitia Graduum conſanguinitatis, et affinitatis, atque quorundam terminorum in uernaculam linguam conuerſione. forma 8.

Caret haec prima Editio Typographiae nota. Praemiſſa autem ei eſt EPISTOLA, AD REUERENDUM DOMINUM STANISLAUM SROLAM CAZIMIRITANUM, IURIS PONTIFICII DOCTOREM, INCLITAE CRACOUIEN. ACADEMIAE COLLEGAM. A. IOANNE CERUO TUCHOLIEN. DATA CRACOUIAE: EX MUSEO PAUPERUM. ANNO A CHRISTO NATO. 1531.

Altera Editio, ab ignotiſſimo Typographo, CERVO inſcio atque inconſulto, ſublataque ipſius Epiſtola, et omiſſo auctoris nomine, locique, et temporis indicio, hoc quidem rubro, in vulgus eſt diſperſa: FARRAGO CIUILIUM ACTIONUM: AD FORMAM IURIS MAYDEBURGEN. PRO CONSUETUDINE IN REGNO POLO: IAMPRIDEM RECEPTA AC OBSERUATA, PER RECOGNITIONEM DENIQUE PRIORIS AUTHORIS AUCTIOR, ET MULTIS IN LOCIS LIMATIOR. EN ITERUM PRODIT AD COMMUNEM UTILITATEM EXCUSA. Tota Farrago quatuor abſoluitur partibus. Prima de controuerſiis actionum, et earum inſcriptione. Secunda de pactis negotiorum, ac item eorum inſcriptione. Tertia de citationibus tereſtribus. Quarta de notitia Graduum conſanguinitatis et affinitatis, atque quorundam terminorum in uernaculam linguam interpretatione. forma 8 maiori.

Tertiaque operis huiusce Editio, clanculum emissa, hunc prae se fert titulum: FARRAGO CIUILIUM ACTIONUM: AD FORMAM IURIS MAYDEBURGEN. PRO CONSUETUDINE IN REGNO POLO: IAMPRIDEM RECEPTA AC OBSERUATA, PER RECOGNITIONEM DENIQUE PRIORIS AUTHORIS AUCTIOR, ET MULTIS IN LOCIS LIMATIOR CUM INDICE EXCUSA. His omnibus accessit index dictionum ac rerum huius Farraginis, ut Lectori prima fronte appareat, id quod desiderat. forma 8.

Est autem quarta Editio, à CERVO ipso studiosissimè adornata, atque verbis his inscripta: FARRAGINIS ACTIONVM IVRIS CIVILIS ET PROVINCIALIS SAXONICI, MVNICIPALISQVE MAYDEBVRGENSIS, LIBRI SEPTEM, PER IOANNEM CERVVM TVCHOLIENSEM, COLLECTI ET REVISI. In Libro quinto continetur Formula Processus iudiciarii Iuris terrestris Provincialis ac Castrensis Polonici, iussu Regio per quosdam Iurisperitos in compendium et modum unum reducta, et deinde per eandem Sacram Maiestatem Regiam, consiliariosque Regni Poloniae approbata. CRACOVIAE EX OFFICINA VNGLERIANA. ANNO DOMINI. 1540. forma 8. Eique nova adjecta est, AD CLARISSIMVM SENATVM, POPVLVMQVE LEOPOLIENSEM IN RVSSIA, IOANNIS CERVI TYCHOLIENSIS PRAEFATIO.

Quinta Editio, CRACOVIAE, PER MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO. M. D. XLII. publicata, perque eundem, BONAE Reginae, alterae SIGISMVNDI Senioris uxori dedicata, antecedenti est persimilis.

Sexta denique, demortuo iam, ut puto, Auctore, CRACOVIAE, APVD MATTHAEVM SIEBENEICHER. ANNO 1558. forma 8 maiori, typis nitidiſſimis exſcripta, prodiit. Addita ei eſt, Typographi nomine, AD SPECTABILEM ET MAGNIFICVM DOMINVM IOANNEM DE OCIESZYNO, REGNI POLONIAE CANCELLARIVM, EPISTOLA, et NOVA AD LECTOREM PRAEFATIO, quae verum operis auctorem, IOANNEM CERVVM Tucholienſem, meritis ac debitis laudibus proſequitur.

Poſtrema omnium, emendatiſſimaque, atque elegantiſſima Editio, MARTINO LENSCIO, praenobili Zamoſcenſium Typographo, debetur. Titulus ei praefixus: FARRAGINIS ACTIONVM IVRIS CIVILIS, ET PROVINCIALIS SAXONICI, MVNICIPALISQVE MAYDEBVRGENSIS, ET IVRIS POLONICI, LIBRI SEPTEM. PER M. IOANNEM CERVVM TVCHOLIENSEM, OLIM COLLECTI ET REVISI. NVNC VERO PROPTER EXEMPLARIVM INOPIAM RECVSI. ZAMOSCI. IN TYPOGRAPHIA ACADEMIÆ. ANNO DOMINI M. DC. VII. forma 8 maiori.

III.) DE DOCTRINA ET MORIBUS SECTAE LUTERIANAE GEORGII WICELII, PRAECLARI COLONIENSIS THEOLOGI, LIBELLUS. Cum IOANNIS CERUI Tucholien. Ad Sanctae Eccleſiae Cracouien. Uigilantiſſimum Paſtorem: ac Sapientiſſimum Poloniae Cancellarium: Dominum PETRUM TOMICIUM, Maecenatem Maximum, Epiſtola Dedicatoria. EXCUSUM CRACOUIAE PER FLORIANUM UNGLERIUM, ANNO M. D. XXXII. DIE SEXTA AUGUSTI. forma 8 maiori.

IV.) EPITOME PONTIFICII AC CAESAREI IURIS: DE COGNATIONIBUS, NUPTIIS, IURE DO-

TIUM, DONATIONIBUS, TESTAMENTIS, SUCCESSIONIBUS, ATQUE REGULIS IVRIS, TUM EX PANDECTIS, TUM EX DECRETALIBUS, ET SEXTO. IOANNE CERUO TUCHOLIENSI COLLECTORE. REUERENDISSIMO D. ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI DEDICATA. Adjecta ſunt ad verbum loco appendicum, Statuta Iuris Municipalis, tum Sacratiſſimorum Regum Poloniae, tum Iuris Prouincialis Saxonici et Magdeburgenſis, quae ad eos Titulos pertinent, et in Practica in Polonia ſeruantur. EXCUDEBAT CRACOUIAE FLORIANUS VNGLERIUS. A. MDXXXIIII. MENSE MAIO. CUM GRATIA ET PRIUILEGIO. forma 8 maiori.

Idem Typographus, Novembri menſe eiusdem anni, forma conſimili repetiit.

V.) METHODVS SACRAMENTORUM SANCTAE ECCLESIAE CATHOLICAE, RECENS EX LITTERIS ET CANONIBVS SACRIS COLLECTA ET RECOGNITA. A. IOANNE CERVO TVCHOLIEN. Adjectae ſunt quaedam Orationes deuotiſſimae Sanctorum Patrum, BASILII Magni, et IOANNIS Chryſoſtomi, de communione Euchariſtiae. Item Modus Conſitendi ANDREAE Epiſcopi Hiſpani S. Romanae Eccleſiae Poenitentiarii. PROVERB. CAP. IX. Sapientia aedificauit ſibi domum, et excidit columnas ſeptem. CRACOVIAE EX OFFICINA VNGLERIANA. ANNO DOMINI. M. D. XXXVII. DIE QVINDECIMA DECEMBRIS. forma 8.

Dedicavit hoc opuſculum, CLARISSIMO AC GENEROSO DOMINO PAVLO TARLONI DE SZCZEKARZOVICZE IVDICI TERRAE LEOPOLIEN. AC TRIBVNO STRIEN. DOMINO SVO VERE GRATIOSO ET BENEFACTORI OPTIMO

SVA-

SVAVISSIMOQVE: „a quo, ſe in numerum ami-
„corum ipſius adſcriptum, amicitiaque inſignium
„aliorum hominum cohoneſtatum, auro etiam, et
„argento, et veſtibus; Beneficiisque Eccleſiaſticis
„proviſum, ac ab invidorum obtrectationibus viru-
„lentis ſemper defenſum, aperte gloriatur.

XV.

GREGORIVS CNAPIVS è Societate IESV, Philologus praeſtantiſſimus, et cum paucis conferendus. Patriam hic vir habuit Grodecum, Maſovienſis Palatinatus oppidulum. Societati IESV nomen ſuum dedit, circa annum Salutis MDLXXXIII. Inque illuſtri ſodalitio illo, annis florentioribus, grammaticam atque rhetoricam artem, mathematicasque diſciplinas exercuit. Aetatem poſteram exegit diſputando, maximeque reſpondendo de dubiis conſcientiae quaeſtionibus. Vixit ad extremam ſenectam. Confectus vigiliis et laboribus aſſiduis, diem obiit Cracoviae, pridie Idus Novembres anni, poſt CHRISTVM natum, MDCXXXVIII. Praeclara ſunt illius in linguam Latinam, Graecamque, atque Polonicam merita. In quarum ſtudio omnes ſuos populares longe anteceſſit, quicunque in eo genere ſunt aliquid conati. Nam patriam linguam ita illuſtravit, ut ſerie quadam perpetua omnes eius linguae voces recenſens, iisque loquendi for-

mulas adjungens: Latinis Graecisque, et vocabulis, et dictionibus, ex optimis utriusque linguae auctoribus desumtis, plenaque manu congestis: diligentia accuratissima, et eruditione varia diffusaque, explicaret. Ac idem, quod primo in simplicibus vocibus sermonis Polonici praestitit, postea quoque in proverbiis, quorum est ea lingua ferax, effecit opera absolutissima. Inde natum et profectum est litteraturae Polonicae monumentum amplissimum, idque sempiternum. Cuius inscriptio est huiusmodi: THESAVRVS POLONO-LATINO-GRÆCVS, SEV PROMPTVARIVM LINGVÆ LATINÆ ET GRÆCÆ, POLONORVM VSVI ACCOMMODATVM. Quid in eo praestitum sit, in Prooemio leges. Hic illud affirmare licet: in hoc opus congesta esse, quaecunque ad Latinarum et Graecarum simplicium vocum nomenclaturam, et ad cónjunctarum phrasim pertinentia, continent Thesauri Graeci et Latini, item Calepini, Nizolii, Lexica, Dictionaria, Nomenclatores, Libri denique Synonymorum, Copiae Verborum, ac Phrasium, Graeci et Latini. Additas praeterea prope mille voces Latinas, quibus Thesauri et Calepini carent, et totidem ferè, quae in eisdem vitiosae sunt, correctas. Deprompta haec ex bonis Scriptoribus, eorumque exemplis, ubi erat opus, illustrata: additis etiam interpretationibus obscuriorum locorum, et multimoda eruditione ex Philologorum et Critico-

rum

rum Libris. OPERA GREGORII CNAPII E SOCIETATE IESV. Tomi huius prioris, editio prima Cracoviae, e typographeo FRANCISCI CÆSARII, anno MDCXXI, folii magnitudine prodiit. Altera, correctior multo instructiorque, ab ipso quidem CNAPIO apparata, sed anno demum quinto ab eius obitu, CAESARII eiusdem typis impensisque, forma simili exscripta fuit. Rarissime haec in patria ipsa est obvia. Consuevitque pretio grandi ab ipsis Societatis IESV Sacerdotibus comparari. Exiit alter tomus excellentissimi operis, in Vrbe Cracovia, ex officina CAESARIANA, anno MDCXXVI, paginis quadrifariam complicatis. Isque frequens est maxime. Persaepe enim Cracoviae atque Posnaniae, forma eadem, in lucem fuit revocatus. Editio eius optima titulo illo insignitur: THESAVRI POLONO-LATINO-GRÆCI, GREGORII CNAPII E SOCIETATE IESV, TOMVS SECVNDVS LATINO-POLONICVS. SIMVL IDEM INDEX VERBORVM PRIMI TOMI, AB AVCTORE CONFECTVS, ET SECVNDÆ EDITIONI CORRECTÆ AC MVLTVM AVCTÆ, ACCOMMODATVS. Inserta est huic operi Interpretatio dictionum, quae in Sacris Bibliis duntaxat reperiuntur. Accessit et Index rerum insigniorum, et annotationum, ad criticen et variam eruditionem pertinentium, in primo Tomo positarum, vel ei hic annexarum, ab Auctore

ipſo confectus, vel potius affectus: ad illuſtrandam obſcuram veterum Latinitatem, è qua non pauca in illud opus congeſta ſunt, et ad oſtendendam Polonicae linguae copiam, vim, elegantiam, analogiam, originem, et cum aliis linguis ſimilitudinem, vel ab iis differentiam: idque exemplo Doctorum Virorum, qui in ſuis peregrinis, ſeu à Latina diverſis linguis, ſimile quid tentarunt. Ne verò mireris in Indice longiores digreſſiones, admonitiones et doctrinas: habuit et hic quos ſequeretur. Omiſſis aliis, duos accipe, Obertum Giſanium, qui Latinum, et Henricum Stephanum, qui Graecum Indicem ſimili ratione contexuit. CRACOVIÆ, ſumptu et typis Haeredum FRANCISCI CÆSARII, S. R. M. Typog. Anno Domini M. DC. LXVIII. Tomus tertius, eadem in Vrbe; Saeculi ſuperioris anno ſecundo et trigeſimo, à FRANCISCO ipſo CÆSARIO, forma 4 publicatus eſt. Praeſtat ille, characterum elegantia, et chartae nitore, caeteris. Summeque eſt rarus: nec recuſus unquam. Sic autem inſcriptus eſt: THESAVRI POLONO - LATINO - GRÆCI, GREGORII CNAPII E SOCIETATE IESV, TOMVS TERTIVS. Continens ADAGIA POLONICA SELECTA, et Sententias morales, ac Dicteria faceta, honeſta, Latinè et Graecè reddita. Quibus, praeſertim obſcurioribus, addita eſt lux et interpretatio ex variis Auctoribus, ac multiplex eruditio paſſim inſperſa. Exſtant praeterea: SYNONYMA, SEV DICTIONARIVM POLONO-

LATI-

LATINVM: In Gratiam Et Vſum Studioſae Iuventutis Polonae: Ex THESAVRO GREGORII CNAPII Soc. IESV Collectum. Itemque: IDIOTISMI POLONICI, SEV VOCES POLONICÆ, quae Latinè de verbo ad verbum reddi nequeunt, ſed aliquo loquendi circuitu explicandae ſunt. In gratiam Iuventutis Studioſae et commodum, è R. P. GREGORII CNAPII, Societatis IESV, THESAVRO POLONO-LATINO, in Compendium collectae. Sunt opuſcula utraque Cracoviae, et Vilnae, et Poſnaniae, Caliſſiique atque Lublini, forma illa, quam octavam vocant, creberrime excuſa. Suntque maxime vulgaria.

XVI.

MICHAEL COCCINIVS, Tubingen. Suevus, homo eleganter eruditus, MAXIMILIANI Germanorum Caeſaris, ad SIGISMVNDVM I. Polonorum Regem, Oratori graviſſimo, VITO de FURST, in ſtudiis litterarum, ſcribendisque epiſtolis Latinis, bonam operam praeſtitit. Ipſiusque in uſum: EUTROPII Uiri Clariſſimi: de geſtis Romanorum: libros decem. Praemiſſa ſua: ad Lectorem EUTROPII commendatione. Apud Regiam Poloniae CRACOUIAM. Impreſſos in domo ſpectabilis uiri: domini IOHANNIS HALLER: ciuis et conſulis Cracouien. Anno Domini. M. CCCCC. X. uigeſima die Aprilis. forma 4 maiori emiſit.

XVII.

XVII.

LAVRENTIVS CORVINVS Novoforensis, originem a Silesia accepit, doctrinam vero et nominis celebritatem a Polonia. Nam in Cracoviensi Academia, IOANNE VRSINO duce, eloquentiam ac poësim exercuit. Praeeunteque IOANNE GLOGOVIENSI, sacram atque profanam philosophiam tractavit. Et VALENTINO ILCVSSIENSI ductore, iurisprudentiae dedit operam. Obtentis Magisterii insignibus, domi atque intra privatos parietes, multis et claris juvenibus, poëticam artem tradidit. Redux autem in patriam suam, Vratislaviae primo, ac deinceps Svidnicii, docuit Latinas litteras, donec taedio Cracoviam iterum sese conferret: ubi tunc publici Rhetoris officium ei fuit delegatum. Dilexit, ut alteram genitricem, Cracoviensem Academiam. Deditque ei duo singularia, et pietatis, et venerationis documenta, videlicet: Carminum Structuram, Augustissimi Gymnasii Cracouiensis Studentibus dicatam. Hortulumque Elegantiarum, Academie Cracouiensis Studentibus consecratum. In cuius fine, Carmine Sapphico describitur Polonia, et eius Metropolis Cracouia. Primum opusculum Cracoviae, Kalendis Octobribus Anni MCCCCXCVI, absque Typographi mentione, forma 4, palam prolatum est. Alterum, eadem in Vrbe, forma-

formaque ſimili, indito HALLERIANO inſigni, Decembri Menſe Anni M D II, productum: Annoque Domini M D VII, omiſſo Typographi indicio, denuo publicatum. Utrumque, etiam Lipſienſibus, atque Viennenſibus typis, bis terque exſcriptum. Fecit et CORVINVS ille: Epicedium, in Sereniſſimum ac Glorioſiſſimum Principem ALEXANDRUM, Polonie Regem atque Magnum Ducem Lituanie: Uilne Lituanorum Metropoli, die XIX menſis Auguſti demortuum, et ibidem XI Octobris ſepultum: Elegiaco Carmine. Impreſſum CRACOUIE per dominum IOANNEM HALLER. Anno à partu Uirginis Milleſimo quingenteſimo ſexto. Die vigeſima menſis Nouembris. forma 4. Sub regni SIGISMVNDI PRIMI initia, Vratiſlaviam repetiit, celebrandi connubii cauſa. Quo bene ac feliciter inito, in Pruſſiam divertit. Aſſignatumque ſibi in Thorunenſium Curia Secretarii locum occupavit. Unde tamen brevi, a Vratiſlavienſi Senatu, humaniſſimis litteris eſt revocatus, ſcribendisque Vrbis illius epiſtolis ſecretis, ac procurandis negotiis omnibus externis praefectus. Coluit in Pruſſia, ante omnes, NICOLAVM COPERNICVM, Cathedralem Canonicum Varmienſem, virum unum totius ſeptentrionis facile doctiſſimum. Editisque ab ipſo: THEOPHYLACTI SCHOLASTICI SIMOCATTI Epiſtolis Moralibus, Atque Ruralibus, Amatoriisque.

CRA-

CRACOUIE in domo Domini IOANNIS HALLER. Anno ſalutis noſtre M. D. IX. forma 4: CORVINVS Elegiam ſuam praemiſit; qua valedicit Prutenis; deſcribitque, quantum ſibi voluptatis attulerint ſequentes THEOPHYLACTI Epiſtole; et quam dulcis ſit à natali ſolo extorri in patriam reditus. A Vratiſlavienſi civitate, ad VLADISLAVM, Hungarorum ac Bohemorum Regem, maximis de rebus, bis miſſus eſt. Senatusque et Populi nomine, SIGISMVNDO PRIMO, Regi Poloniae, alteras nuptias eſt gratulatus. Atque eidem: EPITHALAMIVM. In nuptiis Sacrae Regïae Maieſtatis Poloniae &c: cultiſſimis Elegis compoſitum, perque Cracovienſem Typographum, HIERONYMVM VIETOREM, Anno M. D. XVIII. forma 4, magna diligentia excuſum, porrexit. A quo ingenti congiario donatus eſt. A prima ſtatim adoleſcentia, inter Polonos, ſumme amavit Premiſlienſem Archidiaconum Cathedralem, STANISLAVM BYLINSCIVM, ſacrarum litterarum ſcientia, ac diſſerendi facultate et copia excellentem. Cum quo, ei, ſenecta iam aetate, vehementes controverſiae de religione interceſſerunt.

XVIII.

LEONARDVS COXVS Anglus, vir eruditiſſimus, ac magni ERASMI Roterodami, amiciſſimus, ipſius ſuaſu, in Poloniam pro-

profectus, Cracoviae ſcientiam declamandi tradidit. Habuitque attentum auditorem et diſcipulum, ANDREAM ZEBRYDOVIVM, qui aetate adulta, ob generis claritudinem, probatisque, et prudentiae, et eloquentiae opinionem, à SIGISMVNDO Seniore Rege, Vladiſlaviae Antiſtes creatus eſt, ac denique à SIGISMVNDO AVGVSTO, ad Cracovienſium Pontificatum evectus. Edidit COXVS, ad ipſum, librum mole pertenuem, ſed elaboratum induſtrie, ac perpolitum, qui METHODVS HVMANIORVM STVDIORVM inſcriptus eſt: primumque IN AEDIBVS HIERONYMI VIETORIS, ipſis KALENDIS AVGVSTI, ANNO M. D. XXVI. forma 8, publicae luci expoſitus: ac ſub finem eiusdem anni, IN OFFICINA TYPOGRAPHICA MATHIÆ SCHARFFENBERG, eadem forma, iterum divulgatus. Inſequentis anni initio, EPISTOLAM MARTINI LVTHERI, AD HENRICVM VIII, ANGLIAE AC FRANCIAE REGEM, ETC. In qua veniam petit eorum, quae prius ſtultus ac praeceps in eundem Regem effuderit: offerens palinodiam ſe cantaturum. RESPONSIONEMque DICTI INVICTISSIMI ANGLIAE AC FRANCIAE REGIS, DEFENSORIS FIDEI, AC DOMINI HIBERNIAE, etc. ad ſingula praefatae Epiſtolae capita. Addita propria ſua, AD ILLVSTREM AC MAGNIFICVM DOMINVM, CHRISTOPHORVM A SCHID-

SCHIDLOVIECZ, PALATINVM AC CAPITANEVM CRACOVIEN. REGNI POLONIAE SVPREMVM CANCELLARIVM EPISTOLA, CRACOVIAE, EX CONTVBERNIO HIERVSALEM, PRIDIE IDVS FEBRVARII ſcripta. APVD HIERONYMVM VIETOREM, forma 8 publicavit. QVINTIque HORATII FLACCI EPODON LIBRVM VNVM: AD ALDINI EXEMPLARIS FIDEM RECOGNITVM. SECVLARI CARMINE ADIVNCTO. IMPRIMENDVM PER MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO A VIRGINEO PARTV MIL. QVINGENT. XXVII. DECIMA DIE NOVEMBRIS. forma 4 maiori, curavit. Anno autem MDXXVIII incipiente, M. TVLLII CICERONIS, DE CLARIS ORATORIBVS LIBRVM, QVI DICITVR BRVTVS. IVXTA ALDI EXEMPLAR. IN OFFICINA HIERONYMI VIETORIS. forma 4 recuſum, in manus ſtudioſorum emiſit. Eodemque temporis ſpatio, M. TVLLII CICERONIS, AD MARCVM BRVTVM, ORATOREM. EX ALDINO EXEMPLARI. MATHIAE SCHARFFENBERGII typis, pari forma tranſcriptum, produxit. Compoſuit et ipſe Epigrammata, aliaque Poëmatia: quae VALENTINI ECKII, et MATTHÆI HOLNSTEINII, doctorumque aliorum hominum, ac ſui amantiſſimorum, opuſculis adiecta, in publicum exierunt. Summa familiaritate vixit, cum IOANNE ANTONINO,

Regio

Regio Medico. Eoque adiutore, opimam Cassoviensem Praeposituram in Hungaria consecutus est. A qua, grandiori iam aetate, patriae revisendae gratia, recessit.

XIX.

PAVLVS CROSNENSIS, artium liberalium Magister, et Collega Studii Cracouiensis, aetate sua florentissimi. Hic Crosnam, amplissimam tunc, et opulentissimam Roxolanicae Satrapiae civitatem, patriam habuit. A qua cognomen traxit. Primus omnium Polonorum, Cracoviae poeticen docuit, editisque carminibus inclaruit. Scripsit Elegos perelegantes, summaque mollitie et suavitate fluentes. Fudit etiam Hendecasyllabos, salibus conditos et facetiis. Composuitque Lyrica stylo inprimis gravi et magnifico. Sub finem anni MDVIII, ob pestis saevitiam, e Cracoviensi Academia, quaerendae salutis gratia, in Hungariam secessit. Humanissime ab huius Regni primoribus est acceptus. Atque a GABRIELE PERENÆO, Regiorum cubiculariorum Magistro, et Comite Ugocsiensi, ob insignem formae gratiam, et doctam ingenii facultatem, admirabilemque sermonis leporem et festivitatem, singulariter amatus: senosque menses continuos liberalissime habitus, ac vacuo tunc temporis, in ipsius dynastia, sacerdotio locu-

 plete

plete donatus. Dulce ibi honeſtumque otium pangendis poëmatibus dedit. DVOS PANEGYRICOS; VNVM IN LAVDEM DIVI LADISLAI, PANNONIÆ REGIS, VICTORIIS ET TRIVMPHIS CLARISSIMI; ALTERVMQVE IN HONOREM SANCTI STANISLAI, PRÆSVLIS AC MARTYRIS POLONIÆ GLORIOSISSIMI, Elegis perquam venuſtis contexuit. Eosque, adiectis aliis carminibus Elegiacis ac Lyricis; quibus VIRGINALEM CONCEPTIONEM, CHRISTI NATALICIVM, DIVAM VIRGINEM MARIAM, SANCTASQVE VIRGINES, BARBARAM atque CATHARINAM celebravit; vel Patronum ſuum, GABRIELEM PERENÆVM, DOCTORVM PATREM, ATQVE FAVTOREM POETARVM, PROBATIS MORIBVS SANCTVM SENECAM, AC DIVINVM CATONEM SVPERANTEM extulit: ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MDIX, a Viennenſi Typographo, IOANNE WINTERBVRGER, forma 4, ſummo ſtudio ac nitore deſcribi curavit. In fronte huius voluminis, compoſitiſſimam locavit ad GABRIELEM PERENÆVM Epiſtolam: qua, accepta ab eo beneficia maxima, et honorifice, et graviter praedicavit. Redditus patriae ſuae, nobile EPITHALAMION: HOC EST CARMEN CONNUBIALE, IN NUPTIAS ILLVSTRISSIMI AC INUICTISIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI SIGISMUNDI REGIS POLONIÆ.

NIÆ. NOBILISSIMAEQVE AC PUDICISSIMAE BARBARAE, FILIAE INCLYTI, ET MAGNIFICI DOMINI STEPHANI PALATINI PANNONIAE, CEPUSIIQVE COMITIS PERPETUI, ELEGIS CONCINNATUM. CRACOUIAE, PER FLORIANUM UNGLERIUM. ANNO A NATALI CHRISTIANO M. D. XII. CALENDIS MARTIIS forma 4, emiſit. Cui terſam Elegiam, AD REUERENDISSIMUM IN CHRISTO PATREM ET DOMINUM, DOMINUM IOANNEM LUBRANTIUM, EPISCOPUM POSNANIENSEM, ſubjunxit. Eodem adhuc anno, IOANNIS PANNONII, EPISCOPI QVINQVE ECCLESIARVM, POETÆ ET ORATORIS CLARISSIMI, STVDIORVMQVE IN HVNGARIA INSTAVRATORIS, PANEGYRICVM IN LAVDEM BAPTISTÆ GVARINI VERONENSIS, PRÆCEPTORIS SVI, VERSIBVS HEROICIS CONDITVM, ex eius autographo ſumtum, optimoque et maximo Maecenati ſuo, GABRIELI PERENÆO, Magiſtro Regiorum cubiculariorum, Ugocſienſique tunc, atque Maramaroſienſi Comiti, dedicatum. VIENNÆ AVSTRIÆ IN ÆDIBVS HIERONYMI VIETORIS ET IOANNIS SINGRENII. forma 4 maiori, iuris fecit publici. Menſe Aprili anni ſubſequentis, divinum SAPPHICON, DE INFERORVM VASTATIONE, ET TRIUMPHO

CHRISTI, praemiſſa eleganti, ad GABRIELEM PERENÆUM Epiſtola. EX OFFICINA FLORIANI VNGLERII, CIUIS CRACOUIENSIS, forma 4, in medium protulit. Addiditque huic Carmini, ORATIONEM DOMINICAM, et AUE MARIA, et SALUE REGINA, Elegis lepidis ac concinnis expreſſa. Cecinit deinde egregiam victoriam, anno MDXIV, natali Deiparae Virginis die, a SIGISMVNDO Rege, e Moſcis relatam, pulchro Carmine Elegiaco, quod in eiusdem anni exitu, a FLORIANO VNGLERIO, forma 4, typis exſcriptum eſt. Denique anno MDXVIII, DE NUPTIIS SIGISMVNDI REGIS POLONIÆ, ET BONAE DVCIS MEDIOLANI FILIÆ, amabilem modulatus eſt Elegiam. Quam ſpectatiſſimus Cracovienſium Conſul, ac praeſtantiſſimus Typographus, IOANNES HALLER, typis ſuis, forma 4 maiori evulgavit. Reliquit etiam PANEGYRICOS IN CÆTEROS PANNONIÆ PATRONOS: itemque HYMNOS IN OMNIA SANCTORVM FESTA, VARIO CARMINE CONCINNATOS: et ODAS AD VIROS ILLVSTRES SCRIPTAS: tum PRÆFATIONES ANTE COMPLVRIVM AVCTORVM EXORDIA HABITAS, et pleraque alia ingenii ſui monumenta, quae in publicam lucem nondum edita ſunt. E ſchola eius politiſſimi homines prodierunt: e quibus IOANNES DANTISCVS, ille excellens Poeta, in

in Pontificium Senatoriumque Ordinem conscendit.

XX.

GREGORIVS CZARADZKI, patrii iuris scientia, peritiaque forensi insignis, temporibus SIGISMVNDI III vixit. Tenuitque, in Cancellaria Regia, locum Notarii primarii, multa cum auctoritate. Posteris nomen suum commendavit istis operibus, inventu rarissimis:

Latino quidem sermone.

I.) PROCESSVS IVDICIARII PRAGMATICI: IN IVRE CIVILI ET SAXONICO RECEPTI, AD PRAXIMQVE COMMVNEM ACCOMMODATI: SYNTAGMA COMPENDIOSVM. AVCTORE GREGORIO CZARADZKI, S. R. MAIEST. CANCELL. NOTARIO CONCINNATVM. In usum Consulum, Magistratuum, Iudicum, Advocatorum, Causidicorum, atque etiam Iurisprud. tyronum. Cum Gratia et Privilegio S. R. M. CRACOVIAE, IN OFFICINA NICOLAI LOBII. A. D. MDCXII. forma 8. Ibidemque anno insequenti, in Typographia ALBERTI KOBYLINSCII, forma eadem excusum.

II.) PARATITLA STATVTI HERBVRTIANI. Cum applicatione Constitutionum Novellarum, in usum Fori Controversi edita: Praxique Iuris Terrestris accommodata. Auctore GREGORIO CZARADZKI I. C. Cum Gratia et Privilegio S. R. M. POSNANIÆ, Typis IOANNIS ROSSOWSKI. 1620. forma 12.

III.) FORIDICA NOVELLA: SEV CONSTITVTIONES, ET STATVTA OMNIA, PRAXI IVDICIARIAE OBVIA. Ab Anno MDL, ad moderni temporis usque tractum, compendiosè concinnata. Auctore GREGORIO CZARADZKI, I. C. POSNANIÆ, in Officina IOANNIS WOLRABI. Anno 1620. forma 12.

IV.) THEATRVM CHRONOLOGICVM CHOROGRAPHICVMQVE SARMATIÆ EVROPEÆ. AVCTORE GREGORIO CZARADZKI S. R. M. CANCEL. NOTAR.

Non confectum est opus, sed affectum. Libri tantummodò primi exhibet Partem priorem: DE ORIGINE SARMATARVM, EX QVIBVS POLONI ORTVM SVVM TRAHVNT. Prodiit folii magnitudine, subtracta typographi, locique, atque temporis significatione.

Lingua autem vernacula,

V.) PROCES SĄDOWNY ZIEMSKIEGO PRAWA KORONNEGO: HOC EST: PROCESSVS IVDICIARIVS IVRIS TERRESTRIS REGNI POLONIÆ. AVCTORE GREGORIO CZARADZKI, CANCELLARIAE REGIAE NOTARIO. POSNANIAE, E TYPOGRAPHEO IOANNIS WOLRABII. ANNO SALVTIS MDCXIV. Eademque in Vrbe: Ex officina Typographica IOANNIS ROSSOWSKI. 1620. Ac denique: VARSAVIÆ Litteris IOANNIS TRELPINSKI, Typographi Regii. Anno Domini MDCXXXVI. folii magnitudine. Editioni secundae tertiaeque adjectus est, PROCESSVS IVDICIARIVS REGNI POLONIÆ, THOMÆ DRESNERI, Latinè.

XXI.

XXI.

LEONARDVS DAVID, genere Iudaeus: probus homo, et Hebraicae Latinaeque linguae valde peritus: ſacris CHRISTIANIS ritu Romano initiatus, largoque ſtipendio, a Cracovienſium Epiſcopo, PETRO TOMICIO arceſſitus, primus in Academia Cracovienſi Hebraicas litteras docuit. Editumque in Lipſica Vniverſitate, PHILIPPI NOVENIANI HASFVRTINI, ELEMENTALE HEBRAICVM: in quo praeter caetera eius Linguae Rudimenta, Declinationes et Verborum Coniugationes habentur: praefatione ſua auctum, ac TOMICII, illius maximi atque doctiſſimi Praeſulis, nomini dicatum. CRACOVIAE. Per MATHIAM SCHARFFENBERG. Anno Nativitatis CHRISTI IESV Servatoris MDXXX. forma 4, novis typis exſcribendum curavit.

XXII.

IODOCVS, ſive IVSTVS LVDOVICVS DECIVS, natione Germanus, patria Wiſſenburgenſis fuit. Saeculi XVI principio, Cracoviam advenit. Magnoque Procuratori Cracovienſi, IOANNI BONERO, ſcribendis epiſtolis, exquirendisque rationibus, operam navavit. Cuius commendatione, ab ipſo Rege, SIGISMVNDO PRIMO, ab

epiſtolis ſecretis eſt aſſumtus, ac toti officio monetali praepoſitus. Miſſusque ab eodem Rege, ad LEONEM DECIMVM Romanorum Pontificem Maximum, CAROLVMque QVINTVM Germaniae Caeſarem Legatus, ſuſceptus ab utroque eſt, et auditus perlibenter: et Sacri Lateranenſis, et Imperialis Palatii Comes renunciatus. Redux autem in Poloniam, a Civitate Regia Cracovienſi, Senatorio albo inſertus, ac Conſul factus. Regnique huius Nobilis a SIGISMVNDO creatus, inque conſiliorum intimum allectus eſt. Fuit Regi huic percarus, ambobusque ſimul Regni Cancellariis, PETRO TOMICIO atque CHRISTOPHORO SZYDLOWIECIO, admodum gratus, ac univerſae Nobilitati valde acceptus: ipſeque invicem Polonicae Genti deditiſſimus, ac gloriae eius laudisque ſtudioſiſſimus. Confecit ille DIARIVM EORVM, QVÆ MEMORIA DIGNA, IN NVPTIIS SIGISMVNDI I POLONIÆ REGIS, ET BONÆ SFORTIÆ, MEDIOLANI BARIQVE DVCIS, GESTA SVNT. Idque CRACOVIÆ, IN ÆDIBVS HIERONYMI VIETORIS, MDXVIII, forma 4, divulgavit. MATHIÆ deinde MIECHOVIENSIS, Cathedralis Eccleſiae Cracovienſis Canonici, quem familiariſſime coluit, CHRONICA POLONORVM, in eodem Typographeo, grandi

ſuo

ſuo impendio, excudenda curavit. MDXXI. Fol. Quibus Epiſtolam ſat gravem eruditamque, ad SIGISMVNDVM Regem, praemiſit. Eoque adhuc anno, DE VETVSTATIBVS POLONORVM, LIBRVM I. DEQVE IAGELLONVM FAMILIA, LIBROS II. ET DE SIGISMVNDI REGIS TEMPORIBVS, LIBROS III. ſuo Marte conſcriptos, ac Regi dedicatos, in Typographica eadem officina, forma ſimili prodire iuſſit. Qui, in PISTORIANI CORPORIS HISTORIÆ POLONICÆ TOMO II, p. 260 — 340. locum obtinuere. Sub finem anni inſequentis: VARINI CAMERTIS APOPHTHEGMATA, ad bene beateque vivendum mire conducentia, nuper ex limpidiſſimo Graecorum fonte in Latinum fideliter converſa, et longe antea impreſſis caſtigatiora. Addito inſuper per LVCIVM STELLAM directiſſimo Indice, ſecundum Alphabeti ſeriem. Servato quidem duarum, trium, quatuorve Litterarum, iuxta Locorum exigentiam, Ordine. IN REGIA SARMATIÆ CRACOVIA. TYPIS HIERONYMI VIETORIS: IMPENSA MARCI BIBLIOPOLÆ CRACOVIEN. PRIDIE KALENDAS IANVARIAS, forma 8 maiori, emiſit. Eaque, anno MDXXIX exeunte, IN OFFICINA MATHIÆ SCHARFFENBERG, pari forma, denuo publicavit. Hiſce ſcriptis haud mediocrem laudem apud eruditos homines externos eſt adeptus. Singulariter vero, et amatus eſt,

et crebris litteris compellatus, a clariſſimo Ingoldſtadienſi Theologo, IOANNE ECKIO. Ab eoque potiſſimum delectus, qui ipſius, AD INVICTISSIMVM POLONIÆ REGEM, SIGISMVNDVM, DE SACRIFICIO MISSAE, CONTRA LVTHERANOS, LIBROS DVOS, Regiae Maieſtati offerret. A PHILIPPO GVNDELIO Pataviensi, Iurisconſulto inſigni, ac Poeta non ignobili: IOACHIMO VADIANO Helvetio, egregio Oratore atque Poëta: et CASPARE VRSINO VELIO Sileſio, Poëtarum tunc temporis praeſtantiſſimo, editis Carminibus cohoneſtatus. Atque ab illo principe ingenii et doctrinae, DESIDERIO ERASMO Roterodamo, in intimam amicitiam acceptus. Cui DECIVS, quaecunque in Polonia publice privatimque gerebantur, accurate ac diligenter perſcripſit. DECIIque cura et opera, Polonorum ad ERASMVM, et ERASMI ad Polonos, Litterae tuto pervenerunt: ut ERASMVS ipſe, in Epiſtola MCCLVII iucundiſſima, ad DECIVM, Friburgo Briſgoiae I Novemb. an. MDXXXIII exarata, prolixe teſtatus eſt. Qui fidiſſimi, gratiſſimique in DECIVM animi, aeterno quodam documento, ſuam PARAPHRASIM IN PRECATIONEM DOMINICAM, eiusdem nomini dicavit. Hic DECIVS acri ſua induſtria, proſperaque fortuna, immenſas aſſecutus eſt divitias. Habuitque aedes magnificas, praediumque amoe-

amoenum, et hortum pulcherrimum, et bibliothecam bonarum omnium artium ſcriptoribus refertiſſimam: quae a CLEMENTE IANITIO, atque ANDREA TRICESIO, Poëtis elegantiſſimis, vario carminum genere celebrata ſunt.

XXIII.

MARTINVS DOBRGOST, artium liberalium Magiſter, Cracovienſisque Ordinarius apud Divam MARIAM Virginem Eccleſiaſtes: PETRO TOMICIO Antiſtiti, et propter excellens ingenium atque eloquium, et propter vitae integritatem innocentiamque, omnium gratiſſimus ac iucundisſimus: ORATIONES VI. Quas, Praeſulis illius ſuaſu inſtinctuque, contra MART. LVTERVM, in Divae Virginis MARIÆ Baſilica, ad Studioſam potiſſimum Iuventutem habuit: ſub anni MDXXV initium, MATHIÆ SCHARFFENBERGIA, forma 4 excudendas praebuit. Inſequentisque anni exordio: Sanctiſſimi in CHRISTO Patris et Domini Noſtri, LEONIS Divina Providentia PAPÆ X, Bullam Apoſtolicam, contra errores MARTINI LVTERI et Sequacium: Ac Sereniſſimi Piiſſimique Principis et Domini, Domini SIGISMVNDI, Regis Poloniae et Magni Ducis Lituaniae, Edictum contra Eosdem: adiecto facundiſſimo ſuo, eruditiſſimoque, ad Reverendiſſimum

mum in CHRISTO Patrem, D. PETRVM TOMITIVM, Dei Gratia Epiſcopum Cracovienſem, Inclytique Pol. Regni Procancellarium, Prooemio: eidem Typographo, forma conſimili, deſcribenda commiſit.

XXIV.

THOMAS DRESNERVS Leopolienſis, Romanam atque Polonam iurisprudentiam, ab ineunte aetate, vehementer coluit. ZAMOSCII Magni liberalitate, celebriores Galliae Academias, civilisque iuris ſtudiis florentiores, cupidiſſime frequentavit. Redux, in Academia Zamoſcenſi, conditoris ipſius arbitrio, primariam iuris cathedram obtinuit. Edita ab ipſo ſunt ſpecimina illa: quae, quanto difficilius reperiantur, tanto carius aeſtimari ſolent, a patrii iuris interpretibus.

I.) PROCESSVS IVDICIARIVS REGNI POLONIÆ. COLLECTORE THOMA DRESNERO. SAMOSCI ANNO DOMINI M. DC. I. Cum Gratia et Privilegio S. R. Maieſtatis. MARTINVS LENSCIVS Typogr. Academ. excudebat. fol.

Revocabatur deinde in lucem una cum GREGORII CZARADZKI, PROCESSV IVDICIARIO IVRIS TERRESTRIS REGNI POLONIÆ, vernacula lingua conſcripto; POSNANIÆ, à IOANNE ROSSOWSCIO M DC XX: VARSAVIÆque à IOANNE TRELPINSCIO M DC XXXVI. eadem forma.

II.) SIMI-

II.) SIMILIVM IVRIS POLONI, CVM IVRE ROMANO, CENTVRIA VNA. AVCTORE THOMA DRESNERO LEOPOLITANO. PARISIIS, Ex officina Typographica C. MORELLII. M. D. CII. 4.

Ab ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM laudatore praeclaro et nobili SIMONE STAROWOLSCIO, in operis ſui Editione Veneta, p. 122. DRESNERI huiusce Scriptis, annumeratur CENTVRIA LEGVM POLONICARVM ATQVE GALLICARVM. Quae Polyhiſtori ſummo, librorumque rariorum inveſtigatori acerrimo et diligentiſſimo, IOSEPHO ANDREÆ Comiti ZALVSCIO, Epiſcopo Kievienſi atque Czerniechovienſi, obviam facta non usquam eſt.

III.) INSTITVTIONVM IVRIS REGNI POLONIÆ LIBRI IIII. Ex STATVTIS ET CONSTITVTIONIBVS COLLECTI. Opera THOMAE DRESNERI Leopolitani, I. V. Doctoris, inque Academia Zamoſcenſi Iuris Profeſſoris Ordinarii. In uſum NOBILITATIS POLONÆ, Iuris Patrii ſtudioſae. *Q. MVTIVS SERVIO SVLPICIO: TVRPE EST PATRICIO ET NOBILI, IVS PATRIÆ, IN QVA NATVS ESSET, ET REIPVBLICAE, IN QVA VERSARETVR, IGNORARE.* Cum Gratia et Privilegio S. R. Maieſtatis. ZAMOSCI in Typographia Academiae, Anno Domini M. DC. XIII. excudebat MARTINVS LENSCIVS Typograph. Academ. 4.

XXV.

WOLFGANGVS DROSCHIVS, Hirſpergen. Sileſius, in Cracovienſi Academia, philoſophandi ſcientiae, ac iuris civilis

civilis disciplinae, operam dedit. Simulque egregium forma indoleque puerum, ANDREAM BONERVM, doctissimi Consulis Cracoviensis, FRANCISCI filium, elegantioribus litteris, moribusque imbuit. Exstant permultae eius ELEGIÆ, ab anno MDXXXIV, usque ad annum MDXXXVIII, EX OFFICINA HIERONYMI VIETORIS, forma 4, singulatim emissae: quibus BONERORVM honores ac merita decantavit. Geminaque inde ipsius edita sunt ELEGIDIA, maximi Cracoviensis Episcopi, Regnique Poloniae Cancellarii, PETRI TOMICII, manibus sacrata.

XXVI.

VALENTINVS ECKIVS, Lendanus Rhaetus, conterraneo suo RVDOLPHO AGRICOLA, illice ac duce, Cracoviam venit. Ab eoque, cum caeteras artes, tum rhetoricam praesertim, ac poëticam plenius didicit. Quicquid autem, in philosophiae, et sacrarum litterarum studiis profecit, id viro primario, MICHAELI VRATISLAVIENSI, acceptum retulit. Mox ut a magistris devertit, recreandi animi, ac reficiendae valetudinis causa, in Hungariam discessit. Amoenissimo hospitio, a Soliensium Comite, Cremnicensiumque Camerario, ALEXIO TVRSONE, litteratorum hominum, ipsarum-

que

que humaniorum litterarum, praecipuo ibi, et admiratore, et cultore eſt receptus: magnoque ſtudio retentus: et erudiendae primaevae filiae ſuae: VRSVLÆ nomine: ingenioſae puellae, adhibitus. Ac Bartphae deinde, Regali libera civitate, litterario ludo praefectus. Unde, poſt ſexennium, AGRICOLÆ hortatu atque impulſu, Cracoviam reverſus: mortuo, litteris ornatiſſimo clariſſimoque viro, PAVLO CROSNENSI, in Poëtica Cathedra ſucceſſor datus eſt. Brevi tamen poſtea, ab ALEXIO TVRSONE, liberaliſſimis conditionibus, Bartpham reductus. Huiusque demum civitatis Syndicus factus eſt. Mite fuit, in eo, facileque ingenium: limatum et politum iudicium: multa doctrina, multaque induſtria et diligentia: inſignis quoque morum comitas, humanitasque, et modeſtia. Cracoviae, cum GREGORIO atque MATTHÆO, SAMOTVLIIS Polonis: IOANNE ANTONINO ac GEORGIO WERNERO Hungaris: ANSELMOque EPHORINO, et IOANNE LANGO, et MATHIA PYRSERIO, Sileſiis, vixit familiariſſime. LEONARDO COXO Anglo valde amicus fuit. MICHALEM autem VRATISLAVIENSEM, et RVDOLPHVM AGRICOLAM, ſemper fecit maximi, inque parentum loco habuit, ac veneratus eſt. Eorumque exiſtimantium arbitrio, cuncta, quae ſcripſerat, ſubjicere: glo-

gloriae ſibi duxit. Praeclara haec ingenii eius, eruditionisque, et prudentiae ſpecimina, ad Praeſules ZALVSCIOS, publicae Varſavienſis bibliothecae auctores, pervenere:

I.) Ad RUDOLFUM ſuum, in laudem PHILIPPI BEROALDI, Elegiacum Carmen VALENTINI ECKII Philyripolitani. Acceſſit eiusdem BEROALDI Modo Epiſtolandi, à RUDOLFO AGRICOLA, CRACOUIE apud FLORIANUM UNGLERIUM Chalcographum A. 1512. 4. publicato.

II.) Hymnus Exhortatorius VALENTINI ECKII Philyripolitani. Ad Cracoviam, ut diutinos ſingultus, quos hactenus ob incertos Inuictiſſimi Regis ſui SIGISMUNDI tumultus contra Moſchos habuit, deponat atque plauſibiliter ob inſignem Victoriam triumphet. Hexametris conſcriptus. Annexusque: IOANNIS DANTISCI Carmini Heroico Extemporario, De SIGISMUNDI Regis Polonie Victoria Ex Moſchis, CRACOUIE Per FLORIANUM UNGLERIUM Impreſſo. A. 1514. 4. Ac denuo, inter: ILLVSTRIVM ALIQVOT VIRORVM CARMINA, de memorabili cede Moſcorum, per Sereniſſimum ac Inuictiſſimum D. SIGISMUNDUM Regem Polonie, apud aras ALEXANDRI Magni peracta. In Urbe Roma. Sine indicio Typographi. 1515. 4. editus.

III.) LVCII FLORI BELLORVM ROMANORVM LIBRI QVATVOR, EX VETVSTISSIMO EXEMPLARI NOVISSIME: AC DILIGENTER RECOGNITI PER VALENTINVM ECKIVM. IMPRESSI CRACOVIAE ARTE ET IMPENSIS SPECTABI-

LIS

LIS VIRI DOMINI IOANNIS HALLER. ANNO MISSIONIS VERBI DIVINI IN CARNEM. MILLESIMO QVINGENTESIMO QVINDECIMO. IIII. KAL. IVLII. forma 4. maiori. Frontem pulcherrimae huius Editionis ornat venuſtulum Elegidion, ab eodem ECKIO, ad Lectorem ſcriptum.

IV.) VALENTINI ECCHII LENDANI, DE VERSIFICANDI ARTE OPVSCVLVM. Omnibus Studioſis ad Poëticam anhelantibus, non tam iucundum, quam frugiferum. IMPRESSVM IN REGIA POLONIAE GRACCHOVIA. ANNO INCARNATI VERBI 1515. 4. absque Typographi mentione.

Praemiſſa huic Editioni eſt: Epiſtola, ad diſertiſſimum Virum: nec minus eruditione conſpicuum, quam probitate ſpectatum: IODOCVM LVDOVICVM DECIVM. Gracchoviae ex Germanorum Contubernio data.

Secunda Editio locupletior, correctiorque, vulgata fuit: GRACCHOVIAE IN PROFESTO DIVI SEBESTIANI. ANNO MDXXI. Per HIERONYMVM VIETOREM Philovallenſem Sileſitanum. Impenſis Providorum Dominorum MARCI SCHARFFENBERGER et IOANNIS BOII Bibliopolarum. forma 4. Inſcripta autem: Generoſo ac Magnifico Domino, Domino ALEXIO THVRSONI De Bethlemſalva, Comiti Zolienſi atque Camerario Cremnicenſi, Invictiſſimique Principis LVDOVICI Regis Hungariae à Secretis.

Editioni tertiae. Ex Ædibus HIERONYMI VIETORIS. M.D.XXXIX. forma 4. emiſſae, additum eſt: Ad Vigilantiſſimum Korponenſis Eccleſiae

Protomyſtam, Dominum NICOLAVM CHRYSOREOTANVM, vulgò GOLDBERGER, Dominum Obſervandiſſimum: Heroicum Carmen VALENTINI Eiusdem ECCHII. Poſtremam hanc, atque ſuperiorem Editionem, commendat: RVDOLPHI AGRICOLÆ IVNIORIS, Poëtae Laureati, in ECCHII ſui libellum, Decaſtichon.

v.) VTRVM PRVDENTI VIRO SIT DVCENDA VXOR. Carmen Elegiacum ſanè elegantiſſimum: Illuſtri ac Magnifico D. Domino ALEXIO THVRZONI, &c. dicatum: VALENTINO ECCHIO Lendano Rheto Autore. Impreſſum CRACOVIAE: opera et impenſis Spectabilis Viri, Domini IOANNIS HALLER, Civis Cracovien. Idibus April. Anno Chriſtianae ſalutis. M. D. XVIII. 4.

Editioni alteri, ab HIERONYMO VIETORE, Anno M. D. XXIIII. formae 4 paratae, adjunctus eſt: SVPELLECTILIVM FASCICVLVS, per eundem VALENTINVM ECCHIVM Elegis concinnatus. Additaque ei ſingularis: Ad Magnificum D. Dominum ALEXIVM THVRZONEM, omnium Nobilium Procerumque decus et ornamentum, Epiſtola. Ex Bartpha XII. Kal. Iulii, Anno ab orbe redempto MDXXIIII ſcripta.

vi.) Ad Clariſſimos Viros, Dominum PETRVM CZIPSER, et ANDREAM REVBER, Bartphani Populi, illum Eccleſiaſticum, hunc Saecularem, Moderatores Digniſſimos: HEROICVM CARMEM VALENTINI ECCHII, DE AMICITIAE ET CONCORDIAE VTILITATE, LVSVM BARTPHAE. 1518. Impreſſum

CRACOVIAE in Aedibus Domini IOANNIS HALLER. forma 4.

VII.) DE MVNDI CONTEMPTV, ET VIRTVTE AMPLECTENDA DIALOGVS, PER VALENTINVM ECKIVM, BARTPHANAE SCHOLAE MODERATOREM. Nobilissimo Domino, Domino ALEXIO THVRSONI De Bethlemsalva, Comiti Zoliensi, et Camerario Cremnicensi, Domino et Haeredi Plesnensi, Domino suo Colendissimo oblatus. Editus CRACOVIAE, EX OFFICINA DOMINI IOANNIS HALLER, CIVIS ET CONSVLIS CRACOVIEN. IX. KAL. MARTIAS AN. M. D. XIX. 4. Eademque forma, cum eiusdem ECKII SVPELLECTILIVM FASCICVLO, ac LEONARDI COXI BRITANNI AD PIVM LECTOREM ELEGIDIO, iterum excusus, PER MATHIAM SCHARFFENBERG. SVMTIBVS MARCI SCHARFFENBERGER, BIBLIOPOLAE AC CIVIS CRACOVIEN. ANNO AB INCARNATIONE SALVATORIS NOSTRI. M. D. XXVIII. XIII DIE IVNII.

VIII.) Ad Generosum Dominum, Dominum ALEXIVM THVRSONEM De Bethlemsalva, Comitem Zoliensem atque Camerarium Cremnicensem, Liberum Dominum Plesnensem, et Illustrem Invictissimi Principis LVDOVICI Regis Hungariae Cubicularium: APOPHORETICVM CARMEN DE CHRISTI NATIVITATE, Elegis compositum. IVBILVS HEROICVS Cassoviae habitus, ob adventum Reverendissimi Antistitis, Domini GEORGII Quinqueecclesiensis Episcopi, Regnorumque Hungariae et Bohemiae Cancellarii Dignissimi, heroicis versibus conditus. EPITHALAMIVM in Nuptiis Egregii atque Prudentis Viri,

Domini IOANNIS SAVSLICH, nuper Iudicis, nunc Senatoris Caſſovienſis, et Comitis Camerae Regalis, Carmine elegiaco. VALENTINO ECCHIO Lendano Autore. Impreſſum CRACOVIAE per HIERONYMVM VIETOREM. Anno partus virginei Milleſimo quingenteſimo vigeſimo. Die decimo ſeptimo Iulii. forma 4 maiori.

IX.) Ad Nobiliſſimum Dominum, Dominum ALEXIVM THVRSONEM De Bethlemfalva, Comitem Zolienſem, ac Camerarium Cremnicenſem, Liberumque Dominum Pleſnenſem, et Illuſtrem Invictiſſimi Principis LVDOVICI Regis Hungariae à Secretis: DE REIPVBLICAE ADMINISTRATIONE, DIALOGVS. Et EPISTOLA CONSOLATORIA: Ad Magnificos Dominos, ALEXIVM et IOANNEM, THVRSONES, ob mortem Reverendiſſimi Domini IOANNIS THVRSONIS, Epiſcopi Vratiſlavienſis. Et EPITAPHIA Varia, pro Eodem, ad Eosdem Dominos. VALENTINO ECCHIO Lendano Autore. Impreſſum CRACOVIAE per HIERONYMVM VIETOREM. Anno ob orbe redempto Milleſimo quingenteſimo vigeſimo. forma 4 maiori. Recuſum eſt, cum iisdem opuſculis, CARMEN EIVSDEM VALENTINI ECCHII, DE AMICITIAE ET CONCORDIAE VTILITATE.

X.) Q. HORATII FLACCI LIBER DE ARTE POETICA AD PISONES. EX VETVSTO EXEMPLARI: SVMMA RECOGNITVS CVRA ET DILIGENTIA PER VALENTINVM ECCHIVM PHILYRIPOLITANVM. EX OFFICINA LITTERATORIA DOMINI IOANNIS HALLER, CIVIS ET CONSVLIS CRACOVIENSIS. ANNO A CHRISTO NATO M. D. XXI. XIII. KAL. NOVEMB. forma 4 maiori. Nitidiſſimam

ſimam hanc Editionem RVDOLPHVS AGRICOLA IVNIOR, Poëta Laureatus, pereleganti comitatus eſt ELEGIA, ſcripta AD BARTPHANAM IUVENTUTEM.

XI.) Q. HORATII FLACCI EPISTOLARVM LIBRI II. EX ANTIQVISSIMO EXEMPLARI: STVDIOSISSIME RECOGNITI PER VALENTINVM ECCHIVM PHILYRIPOL. ARTE VERO ET IMPENSIS DOMINI IOANNIS HALLER, CIVIS ET CONSVLIS CRACOVIENSIS IMPRESSI. ANNO SALVTIS M. D. XXII. PRIDIE NONAS AVGVSTI. forma 4 maiori. Nitidae huic Editioni, ECCHII ipſius, AD STUDIOSAM BARTPHANAM IUVENTVTEM, HEXASTICHON ſubjunctum eſt.

XII.) VALENTINI ECKII LENDANI RHETI, DE RATIONE LEGENDI AVTORES, LIBELLVS, IMPRESSVS CRACOVIAE PER MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO DOMINI MILLESIMO QVINGENTESIMO VIGESIMO TERTIO. VII. KAL. IVNII. forma 8 maiori. Opuſculo huic adjecta eſt: Epiſtola, maximae ſpei, veteriſque ac recentioris litteraturae peritiſſimo Adoleſcenti, EMMANVELI REVBERO, jucundiſſimo quondam diſcipulo ac convictori ſuo, ab ipſo ECKIO, Cracovia, ex Aedibus Minoris Collegii Academici, V. Idus Mart. Anni M D XXIII, miſſa.

XIII.) DE RESVRRECTIONE DOMINICA, CARMEN HEROICVM. Illuſtri ac Magnifico Domino, Domino ALEXIO THVRZONI De Bethlemfalva, Regalium Thavernicorum ac Cubiculariorum Magiſtro &c. Nuncupatum per VALENTINVM ECCHIVM Lendanum Rhetum, Bartphanae Reipublicae à Conſiliis atque Libellis. IMPRESSVM CRACOVIAE PER HIERONYMVM

VIETOREM. MENSE MARTIO. M. D. XXV. 4. Perque eundem Typographum, ANNO DOMINI M. D. XXXIIII. MENSE APRILI. eadem forma, denuò excusum.

XIV.) AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS VIRI CONSVLARIS, LIBER PERISTEPHANON, HYMNOS IN LAVDEM SANCTORVM: QVI MARTYRIO CORONATI SVNT: COMPLEXVS. Ex vetustissimo Exemplari quam diligentissime recognitus. Viroque clarissimo, et doctrinis omnibus exculto atque expolito, RVDOLPHO AGRICOLAE, Poëtae à Caesare Laureato, Inclytaeque Cracoviensis Academiae Rhetori: suavissimo suo Amico ac Praeceptori: à VALENTINO ECKIO, Bartphanae Reipublicae Syndico, heroico carmine Dicatus. CRACOVIAE IMPRIMEBAT MATHIAS SCHARFFENBERG: impensis MARCI SCHARFFENBERGER, Civis et Bibliopolae Cracoviensis. ANNO SALVTIS HVMANAE MILLESIMO QVINGENTESIMO VIGESIMO SEXTO. PRIDIE KAL. IANVARIAS. forma 4 maiori.

XV.) DIVI AVRELII AVGVSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE VITA CHRISTIANA, AD SOROREM SVAM VIDVAM, LIBER VNVS. Cum VALENTINI ECKII, ad Reverendum Dominum M. MICHAELEM DE VRATISLAVIA, Principem Inclytae Cracoviensis Vniversitatis Theologum et Philosophum, Eundemque Ecclesiae Collegiatae Sancti FLORIANI Decanum, Sapientissimum suum Praeceptorem, ac Patronum Benignissimum, Praefatione. CRACOVIÆ HIERONYMVS VIETOR EXCVDEBAT. ANNO DOMINI MDXXIX. KALENDIS SEPTEMBRIBVS. forma 4. maiori.

XVI.) AD

XVI.) AD ILLVSTREM AC MAGNIFICVM DOMINVM, D. ALEXIVM TVRSONEM DE BETHLEN FALVA, INCLYTI REGNI HVNGARIAE PALATINVM: EPIGRAMMATVM SACRORVM LIBER. VALENTINO ECKIO LENDANO AVCTORE. IN REGIA POLONIAE CRACOVIA HIERONYMVS VIETOR REGIAE CANCELLARIAE CHALCOGRAPHVS IMPRESSIT. III. NON. FEBR. ANNO SALVTIFERO M. D. XXXVII. forma 8 maiori.

XVII.) VALENTINI ECCHII EPIGRAMMATA: in NICOLAVM TVROCIVM, Regiae in Hungaria Curiae Magiſtrum: PAVLVM BAKYTH, et NICOLAVM OSTROSITH: ALEXIVM TVRSONEM, Eiusque Familiam, et FRACISCVM Comitem à FRANGAPANIBVS, Archiepiſcopum Colocenſem: inque ARCEM WISSEGRAD: CLARAM ab WYLAK FRANCISCI Iaurienſis Epiſcopi Matrem, et BARBARAM FRANCISCI à REVA Propalatini Regni Hungariae Conjugem: VALENTINVM etiam ZEPSIVM Praepoſitum Eurſienſem, et IOSEPHVM TECTANDRVM Medicum: PANNONIÆ LVCTVI, QVO PRINCIPVM ALIQVOT, ET INSIGNIVM VIRORVM MORTES, ALIIQVE FVNESTI CASVS DEPLORANTVR, p. 16 et 17. itemqne p. 22 ſq. 26 ſq. 29 ſq. 34 ſq. et p. 38. inſerta.

XVIII.) Ad doctiſſimum ac Clariſſimum Virum, Dominum IOANNEM BENEDICTVM, Cracovien. et Varmien. et Vratislavienſem Canonicum: Sereniſſimi ac Invictiſſimi Principis SIGISMVNDI, Senioris Regis Poloniae, Medicum: VALENTINI ECCHII ELEGIACON. Impreſſum CRACOVIÆ per HIERONYMUM VIETOREM. VIII. Kal. Dec. Anno MDXLV. 4.

XXVII.

HELIVS EOBANVS Heſſus, egregie humanitatis ſtudiis imbutus, pangendique carminis arte inſtructiſſimus, anno MDX ineunte, in Pruſſiam pervenit. Ibi, Pomeſanienſium Epiſcopo, IOBO A DOBENEK, ſtudioſorum omnium, bonarumque litterarum, ac diſciplinarum amantiſſimo, ob admirabilem ingenii vim, et ſimplicem rectamque loquendi libertatem, pergratus, perque iucundus fuit. Eiusque in comitatu Cracoviam profectus, ENCOMIUM NVPTIALE, DIUO SIGISMUNDO, REGI POLONIAE, ſcripſit. PRIDIEQUE KALENDAS MARTIAS ANNI M. D. XII. ex officina HALLERIANA, forma 4, emiſit in publicum. Quod, in collectis, iunctimque editis OPERVM ipſius FARRAGINIBVS, fruſtra quaeſiveris. Benigne acceptum remuneratumque a Rege eſt. Procerumque omnium, et Nobilium, et doctorum virorum ſermone, Poeta celebratus. Ea tempeſtate EOBANVS, a primario Regis Scriba, IOANNE DANTISCO, politiore omni elegantia plene tincto, miraque in fingendis verſibus facilitate praedito, cognoſci familiariter, ac diligi eſt coeptus: et ad poëtica certamina blandiſſime provocari: et meritis decorari praemiis atque muneribus. Eodemque temporis ſpatio, Praeſule Pomeſani-

ſanienſi monitore, atque impulſore, pulchellam confecit ELEGIAM, cui titulus: AD SERENISSIMVM SIGISMUNDUM, REGEM POLONIAE, PRO MAGISTRATIBUS MILITIAE TEUTONICORUM PRUSSIAE, IN CONUENTU PETRICOUIENSI. Alteram, DESCRIPTIONEM PRUSSIAE continentem, ſua ſponte ad CONRADUM MUTIANUM RUFUM, amicum ſuum perveterem, ſcripſit. Inſeruit autem utramque SYLVARVM Libro primo, qui SARMATICVS nuncupatur. Reverſus in Germaniam, ac poſt multa rerum diſcrimina, Noricae Urbis Gymnaſio praepoſitus, Auguſtae Vindelicorum, ac Ratisbonae, in publicis Imperii Comitiis, DANTISCVM ſuum, miſſum a SIGISMVNDO Rege, ad Caeſarem CAROLVM V, Oratorem, creatumque Culmenſem Antiſtitem, ac Pomeſanienſem Adminiſtratorem, ſalutavit. Eundemque, et conſtantem amicum, et Maecenatem munificum, expertus eſt. Quem viciſſim EOBANVS, cultiſſimis carminibus, SYLVARVMque ſuarum nobili inſcriptione eſt proſecutus.

XXVIII.

ANSELMVS EPHORINVS, Pacimontanus Sileſius, impubes adhuc, et tener, in album Cracovienſium Academicorum relatus eſt. Studuit humanioribus litteris apud

RVDOLPHVM AGRICOLAM. Philoſophiae ac matheſeos praeceptorem habuit MATTHÆVM SAMOTVLIVM. A CYPRIANO autem LOVICIENSI introductus in medendi arte eſt. Annos natus duodeviginti, Magiſterii honores iuraque meruit. Moxque dialecticam publice eſt profeſſus. Rationalem deinceps diſciplinam tradidit. Et ARCISZEWSCII, Cracovienſis Canonici, illis temporibus doctiſſimi, inque omnes eruditos viros, ſtudioſosque iuvenes, valde liberalis ac benefici perſuaſione, PLINII hiſtoriam naturalem exponere aggreſſus eſt, in frequentiſſima auditorum concione. Eiusdem Maecenatis hortatu, CAII PLINII NOVOCOMENSIS, IN LIBROS HISTORIAE NATVRALIS PRAEFATIONEM, QVAE PRIMVM LIBRVM OCCVPAT, DILIGENTER DOCTISSIMORVM VIRORVM IVDICIO RECOGNITAM, ET IN VERAM AC PLANE PLINIANAM LECTIONEM, RESTITVTAM. VNA CVM INDICE SVMMATIM XXXVII LIBRORVM PLINII ARGVMENTA INDICANTE. CRACOVIAE PER MATHIAM SCHARFFENBERG. DIE XXII NOVEMBRIS, AN. M. D. XXVII. forma 4. excudi curavit: ANNO M. D. XXIX. apud eundem Typographum denuo luci expoſuit publicae. Cui ingenioſam, ac bene doctam Praefationem, ad ARCISZEWSCIUM, adjunxit. Illiusque ipſius auſpicio impendioque, CAII

PLI-

PLINII SECVNDI, NATVRALIS HISTORIAE LIBRVM XXIX MEDICO ſuo COMMENTARIO DISTINCTVM AC ILLVSTRATVM. CRACOVIAE IN OFFICINA TYPOGRAPHICA HIERONYMI VIETORIS. ANNO NATIVITATIS DEI MDXXX. XII MENSIS IANVARII. forma 4, publici iuris fecit. Quo maximam ſibi, et apud litteratos omnes homines dignitatem, et apud Regni Primores exiſtimationem peperit. Factumque exinde eſt, ut a Biecenſium Caſtellano, SEVERINO BONERO, viro opulentiſſimo ac generoſiſſimo, cultoreque Muſarum, a ſalutis cuſtodia aſſumeretur, ſimulque filiorum ſuorum, IOANNIS et STANISLAI, inſtitutioni praeficeretur. Hiſce iuvenibus, utramque Germaniam, et Italiam, Galliamque inviſentibus, comes ipſe, ac dux additus, cum hominibus externis, ingenii atque eruditionis gloria florentiſſimis, penitiorem iniit atque contraxit amicitiam. Eximiam in primis ERASMI Roterodami familiaritatem eſt conſecutus. Eiusque iucundiſſima convictione uſus ſemeſtri fere ſpatio. A quo etiam, in editis Epiſtolis ſuis, ordine MCLXXXVIII et MCCXXXVIII, magnopere collaudatus eſt. Doctoris Medici titulum et ornamenta e Patavina Academia deportavit. A Germanorum Caeſare, CAROLO V, Nobilitatis inſignia obtinuit. Redux in Poloniam, a Cracovienſium Senatu, primarius

in ea Vrbe Phyſicus, magno ſtipendio conſtitutus eſt. Idque munus, maxima cum induſtriae, doctrinaeque ſuae laude, explevit. Fecitque MEDICINALE COMPENDIVM: AD AMPLISSIMVM AC PRVDENTISSIMVM SENATVM REGIÆ VRBIS CRACOVIENSIS. HIERONYMI VIETORIS REGIÆ CANCELLARIÆ CHALCOGRAPHI typis. ANNO AB HVMANÆ SALVTIS INSTAVRATIONE M.D.XLII. MENSE MARTIO. forma 8 maiori, evulgatum. Ab univerſis Civitatis Ordinibus ſumme dilectus eſt. Atque, a tota BONERORVM domo, omni honorum genere, plurimisque, et maximis beneficiis cumulatus. Adoleſcentiae tempore, VALENTINVM ECKIVM Rhaetum, atque WOLFGANGVM DROSCHIVM, FRANCISCVMque MYMERVM, Sileſios, ſtudioſiſſimos ſui, et amantiſſimos, et obſervantiſſimos habuit. Singularis autem, eaque perpetua, ipſi interceſſit neceſſitudo, cum IOANNE LANGO Sileſio, ſuavi non minus, quam candido homine, ac liberali omni eruditione repleto, Poëtaque eximio. Palam ab iis omnibus, magnificeque laudatus, ac editis carminibus donatus eſt. ANSELMVS ipſe, Latinos verſus, variis modis, et numeris fudiſſe perhibetur. Quorum tamen nihil aliud, in manus noſtras devenit, quam ea EPIGRAMMATA, que PANNONIÆ LVCTVI inſperſa ſunt.

XXIX.

XXIX.

SEBASTIANVS FELSTINENSIS. Cognomentum traxit ab oppido natali, Felſtino: vetuſto et claro HERBVRTORVM domicilio. Verſatusque eſt Cracoviae in omnibus ingenuis artibus, Samborienſis Tribuni, ANDREÆ HERBVRTI, impenſis. Creatus Baccalaureus, primus omnium Muſicen docere Cracoviae coepit. Habuitque, inter caeteros diſcipulos, MARTINVM LEOPOLIENSEM, qui SIGISMVNDO AVGVSTO imperante, muſica arte et doctrina, magnam adeptus eſt nominis celebritatem. SEBASTIANVS ille FELSTINENSIS, ad mediam fere aetatem, Sacerdos factus: opeque et auxilio Premiſlienſis Caſtellani, NICOLAI HERBVRTI, Praepoſitus Sanocenſis renunciatus eſt. Exſtant in bibliotheca publica ZALVSCIANA:

I.) OPUSCULUM UTRIUSQUE MUSICAE, TAM CHORALIS, QUAM ETIAM MENSURALIS. Compilatum per Dominum SEBASTIANUM DE FELSTIN, Artium liberalium Baccalarium. CRACOVIAE, in Officina FLORIANI UNGLERII. Anno a CHRISTO nato M. D. XIX. 4.

II.) ALIQVOT HYMNI ECCLESIASTICI. Vario Melodiarum genere editi, per Dominum SEBASTIANVM FELSTINENSEM, Artium Baccalarium. CRACOVIAE. Apud



Apud HIERONYMVM VIETOREM. Anno Domini M. D. XXII. 8.

III.) OPVSCVLVM MVSICES. Noviter congeſtum per Honorandum SEBASTIANVM FELSTINEN. Artium Baccalarium: pro inſtitutione Adoleſcentum in Cantu ſimplici, ſeu Gregoriano. Addita eſt: MVSICA FIGVRATIVA, MARTINO CROMERO BECZENSI AVTORE. Impreſſum CRACOVIAE per HIERONYMVM VIETOREM. Anno Domini M. D. XXXIIII. 4.

IV.) DIVI AVRELII AVGVSTINI, EPISCOPI HIPPONENSIS, DE MVSICA DIALOGI VI. Reverendi Patris et Domini ERASMI Abbatis Mogilen. auſpicio editi, per Venerabilem D. SEBASTIANVM DE FELSTIN, Artium Baccalarium, ac Sanocenſis Eccleſiae Paroecum. CRACOVIAE IN OFFICINA HIERONYMI VIETORIS. DIE VIII. ANNO SALVTIS NOSTRAE M. D. XXXVI. 4.

V.) DIRECTIONES MVSICÆ: AD CATHEDRALIS ECCLESIAE PREMISLIENSIS VSVM. Magnifico Domino, D. NICOLAO HERBORTO A FELSTIN, Caſtellano Premiſlienſi, Domino ac Patrono ſuo Benigniſſimo, gratitudinis cauſa oblatae: per Venerabilem D. SEBASTIANVM FELSTINENSEM, Artium liberalium Baccalarium, ac Sanocen. Eccleſiae Parochialis Rectorem. EXCVDEBAT HIERONYMVS VIETOR REGIVS CHALCOGRAPHVS CRACOVIÆ. ANNO MDXLIIII. KAL. OCTOBRIS. 4.

XXX.

XXX.

IACOBVS FERDINANDVS Barien. Italus, artium et medicinae Doctor, idemque SIGISMVNDI Patris atque SIGISMVNDI AVGVSTI Filii, Poloniae Regum Medicus: DE FELICI CONNVBIO, SERENISSIMI VNGARIÆ REGIS IOANNIS, ET S. ISABELLÆ, POLONIÆ REGIS FILIÆ: ET DE MERITISSIMIS VTRIVSQVE SERENISSIMI SIGISMVNDI POLONIÆ REGVM, AC REGINÆ SFORTIÆ LAVDIBVS, NEC NON ET TOTIVS POLONIÆ REGNI: EPISTOLAM. Ad excellentem ac Magnificum Dominum NICOLAVM ANTONIVM CARMIGNANVM, Nobilem Neapolitanum, Barienſem Caſtellanum, et Sereniſſimae Reginae Poloniae Theſaurarium, IN REGIA VRBE CRACOVIENSI: MATHIÆ SCHARFFENBERGIO. ANNO MDXXXIX. forma 4. excudendam tradidit. Cuius principio, EPISTOLAM aliam, paulo ante: DE IVNIORIS POLONIÆ REGIS, SIGISMVNDI SECVNDI, CONTRA VALACHOS EXPEDITIONE FORTI ET GLORIOSA: ad eundem CARMIGNANVM, a ſe emiſſam commemoravit. Quae Epiſcopo Kievienſi, IOSEPHO ANDREÆ Comiti ZALVSCIO: Polonorum omnium, aevo noſtro, longe litteratiſſimo: indagandisque atque vindicandis

candis monumentis patriis nato: nunquam eſt viſa. Exſtat autem, in numeroſiſſima ipſius Bibliotheca, libellus rarus pariter et utilis, cuius hic eſt titulus: IACOBI FERDINANDI BARIENSIS, MAIESTATVM POLONIÆ PHYSICI, DE REGIMINE A PESTE PRAESERVATIVO TRACTATVS. Nunc primum temporis neceſſitate in lucem editus, ad ſanitatem tuendam. Ad Illuſtrem ac Magnificum Dominum IOANNEM Comitem TARNOVIENSEM, Caſtellanum Cracovienſem &c. ſuum maecenatem. CRACOVIAE IN OFFICINA VNGLERIANA. ANNO DOMINI MDXLIII. forma 8.

XXXI.

MATHIAS FRANCONIVS Hegetmatianus, hoc eſt, Lignicenſis Sileſius. Cracoviae, perceptis liberalibus diſciplinis, per annos continuos novem, pueros patricii generis, domeſticos intra parietes, erudivit. Deinceps vero, ab huius Urbis Senatu, Gymnaſio Divae Virginis MARIÆ, lectiſſimis ac nobiliſſimis iuvenibus, humanitatisque, atque eloquentiae ſtudiis tunc affluenti, Rector appoſitus eſt: patrocinio niſus FRANCISCI BONERI, ſummi viri, optimisque artibus eruditi, ſuaque aetate, doctorum virorum ſtudioſiſſimi. Inveniuntur in muſeo ZALVSCIANO:

1.) MA

I.) MA. FRANCONII HEGETMATIANI IN LUTERIANOS ELEGIA. Praefixa STANISLAI ZABOROWSCII, DE CAELIBATU CHRISTIANORUM, ET PRAESERTIM SACERDOTUM AC VIRGINUM, OPUSCULO: quod CRACOVIAE, FLORIANI UNGLERII typis, PRIDIE KALENDAS MENSIS AUGUSTI, ANNO PARTVS VIRGINALIS M. D. XXIX. forma 8 maiori, exſcriptum eſt.

II.) AD INCLYTISSIMVM PRINCIPEM SIGISMVNDVM AVGVSTVM, INVICTISSIMI POLONIÆ REGIS SIGISMVNDI PRIMI FILIVM, MAGNVM DVCEM LITVANIÆ SALVTATVM. MATHIÆ FRANCONII HEGETMATIANI ELEGIA. CRACOVIÆ IN ÆDIBVS HIERONYMI VIETORIS. ANNO M. D. XXIX. KAL. NOVEMB. 4.

III.) AD SERENISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM SIGISMVNDVM AVGVSTVM, REGEM POLONIÆ ELECTVM, AC REGALI DIADEMATE EVINCTVM. MATHIÆ FRANCONII HEGETMATIANI ELEGIA. CRACOVIÆ IMPRIMEBAT HIERONYMVS VIETOR. ANNO SAL. M. D. XXX. X KAL. MART. 4.

IV.) IN SPLENDIDISSIMOS ET FAVSTISSIMOS HYMENAEOS. Spectabilis et Magnifici Domini, D. SEVERINI BONERI de Balicze, et in Camieniecz, atque Ogrodzieniecz Heredis: Caſtellani Zarnovien. Zupparii, et Burggrabii, et Magni Procuratoris Cracovienſis: Oſzwiecinen. Zatorien. Biecen. Czchovien. Rapſtinenſisque Capitanei. Et Spectabilis Dominae HEDVIGIS, Magnifici Domini Palatini Caliſſienſis Filiae. MAT. FRANCONII CARMEN ELEGIACVM. Sine loci, annique, et Typographi mentione. 4.

v.) ELEGANTIARVM PRÆCEPTA VIGINTI: ad Epiſtolas eleganter componendas. MATHIÆ FRANCONII. Impreſſa CRACOVIÆ per MATHIAM SCHARFFENBERGIVM. Anno MDXXXIIII. 8. Praemiſſa eſt iucunda et elegans eiusdem MATHIÆ FRANCONII: Ad Spectabilem et Magnificum Dominum, LVDOVICVM ALIPHIVM, Burggrabium Cracovien. Sereniſſimarum Maieſtatum Regis et Reginae Poloniae Oratorem et Secretarium &c. Elegia.

vi.) MARCI TVLLII CICERONIS, Romanae Linguae Parentis, Liber Elegantiſſimus, DE SENECTVTE Conſcriptus. MATHIÆ FRANCONII Cura: CRACOVIÆ MATHIAS SCHARFFENBERGIVS Impreſſit. Anno ab orbe redempto MDXXXIIII. 4.

vii.) MARCI TVLLII CICERONIS LÆLIVS: SIVE DE AMICITIA DIALOGVS, AD TITVM POMPONIVM ATTICVM. Impreſſus CRACOVIÆ per MATHIAM SCHARFFENBERGIVM. Anno Domini MDXXXV. 4. Huic adjecta eſt MATHIÆ FRANCONII, Hegetmatiani, ad Magnificum ac Sapientem Virum, Dominum FRANCISCVM BONERVM, Regiae Civitatis Cracovienſis Conſiliarium, Elegia ſuaviter admodum venuſteque ſcripta.

viii.) Domini ERASMI ROTERODAMI, Theologi Incomparabilis; qui vixit annos LXX, obiit anno Domini MDXXXVI, v. Idus Iulias. Et Reverendiſſimi Domini PETRI TOMICII, Pientiſſimi Epiſcopi Cracovien. Singularisque Studioſorum Maecenatis. EPITAPHIA, Elegis concinnata, AVTORE

AVTORE MA. FRAN. Impreſſa CRACOVIÆ per MATHIAM SCHARFFENBERG. Anno Domini Milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo. 4.

IX.) AD AMPLISSIMOS INCLYTI POLONIAE REGNI PROCERES, PROTREPTICA CONCORDIÆ DECLAMATIO, AVTORE MA. FRANCONIO. CRACOVIÆ PER MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO MDXXXVIII. 4.

X.) DECLAMATIO FVNEBRIS, IN OBITVM MAGNANIMI ET EXCELLENTISSIMI DVCIS, IOANNIS, EPISCOPI POSNANIEN. MATHIA FRANCONIO AVTORE. Annexa eſt ad meditandam ultimae neceſſitatis horam: quae parcit nemini, ſive ſummo illi, ſive infimo: pia quaedam Adhortatio, Elegiaco carmine. CRACOVIÆ, EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNGLERIANA. ANNO MDXXXVIII. DIE XI MARTII. 4.

XI.) EPITHALAMIVM SERENISSIMI REGIS POLONIAE, SIGISMVNDI AVGVSTI: ET SERENISSIMAE VIRGINIS ELISABETHÆ, FERDINANDI ROMANORVM REGIS FILIAE: Elegis confectum, MATHIA FRANCONIO HEGETMATIANO AVTORE. IMPRESSVM CRACOVIÆ PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO MDXLIII. MENSE IVNIO. 4.

XII.) ORATIO FVNEBRIS, IN OBITVM DIVÆ PRINCIPIS ET DOMINÆ, DOMINÆ ELISABETHÆ, MAGNANIMI AC INVICTISSIMI ROMANORVM, HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, ETC. REGIS FILIÆ: SERENISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI SIGISMVNDI AVGVSTI, REGIS POLONIÆ, MAGNI DVCIS LITVANIÆ,

RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆQVE ETC. CONIVGIS PERCHARÆ. Cuius anima Vilnae ex fatali lege naturae ceſſit, non ſine magno omnium deſiderio: die XV Iunii, anno MDXLV: aetatis vero ſuae XVIII, menſe XI, die XIIII. MA. FRANCONII. Acceſſit pia illa Adhortatio ad meditandam ultimae neceſſitatis horam, correcta atque elimata diligentiſſime. CRACOVIÆ TYPIS SCHARFFENBERGIANIS. 4.

XIII.) ORATIO FVNEBRIS, IN MORTEM DIVI PRINCIPIS ET DOMINI, DO. SIGISMVNDI PRIMI, INVICTISSIMI OPTIMIQVE POLONIÆ ETC. REGIS. MATH. FRANCONII. CRACOVIÆ APVD HIERONYMVM SCHARFFENBERGVM. MDXLVIII. 4. Germanicam huius orationis verſionem, idem Typographus, eodem tempore, atque eadem forma, deſcripſit.

XXXII.

ANDREAS FRICIVS: MODREVIVS a rure natali dictus: ingenio ſummo et prudentia ſingulari praeditus; ſummeque et eloquens et doctus; ſed a priſcae atque orthodoxae Eccleſiae religione et ritibus alieniſſimus, averſiſſimusque fuit. Novas enim perditasque opiniones a PHILIPPO MELANCHTHONE hauſerat: quem, aetate iam progreſſa, Vittebergae triennio amplius frequentaverat ſtudioſiſſime: tam arcte et tam fortiter, ob praeſtantiſſimam virtutis indolem, a praeceptore adamatus; tantaeque ab eo habitus

bitus dignationis, vt ſaepe in rebus arduis ac duris, illius praecipue iudicio et conſilio, adiuvari voluerit atque erigi. Noribergae quoque, adipiſcendae humanitatis politioris, Theotiſcaeque linguae purioris cauſa, pari fere temporis ſpatio conſtiterat; ubi itidem ipſi, cum litteratis iis hominibus, qui a cultu pietatis Catholicae deſciverant, amicitiarum ac neceſſitudinum uſus interceſſerat varius atque multiplex. In patria deinde functus eſt, apud SIGISMVNDVM AVGVSTVM, Regem iuvenem, Scribae officio: quod, ea aetate, a Polonis exiſtimabatur honorificentiſſimum. Regi illi quidem in primis carus et dilectus: conſiliorumque eius, et in publica re, et in privatis omnibus, maxime particeps fuit. Quare a Regni quoque Proceribus, e profano Ordine, ſingulari amore et obſervantia iudicatus eſt digniſſimus. Coluit autem ipſe tunc, praeter alios omnes, Siradiae Palatinum, HIERONYMVM LASCIVM, ſenatoriis atque imperatoriis artibus, diſciplinisque inſigniter excultum. Mortuumque eum, in aureolo illo libello, quem DE HOMICIDIIS IVSTE ET LEGITIME PVNIENDIS compoſuit, admirabili elegàntia ac gravitate diſſerentem, induxit. Eodem paene tempore FRICIO conſuetudo haud parva fuit, cum DEMOSTHENE Polonorum, STANISLAO ORICHOVIO; qui

eius opera ſemel et iterum eſt uſus feliciſſime, in tractandis conficiendisque negotiis ſuis; nihilominus tamen, inſecuta tempeſtate, honoris atque fortunae invidia, ex familiari, inimicus ipſi, et vehemens feroxque obtrectator, factus eſt. Conſtantem autem, ſtabilemque ſeſe ei, in amicitia, per aetatem omnem praeſtitit, LEONARDVS ALTIPOLITA, SIGISMVNDI AVGVSTI Regis Theologus: idemque Cathedralis Cracoviensis Eccleſiaſtes: virtute atque probitate non minus, quam eruditione facultateque dicendi celeber. Isque publice FRICIVM meritis ac debitis extulit laudibus. Similique eum ſtudio ac fide adamavit, carminibusque magnopere commendavit, PETRVS ROYSIVS Hiſpanus, itemque IOANNES LANGVS Sileſius: clarus vterque Iurisconſultus, et Poëta uterque memorabilis. SIGISMVNDO Seniore adhuc regnante: FRICIVS Scripta haec nitidiſſima atque elegantiſſima foras dedit; in quibus, territus Principis ſanctisſimi, avitaeque religionis Cuſtodis ſeverisſimi auctoritate, pernicioſiores ſententias ſuas propalam dicere nondum eſt auſus.

1.) AD SERENISSIMVM ET INCLYTVM REGEM POLONIÆ *SIGISMVNDVM AVGVSTVM*, LASCIVS: SIVE DE POENA HOMICIDII, ANDREA FRICIO MODREVIO AVTORE. CRACOVIÆ PER HIERONYMVM VIETOREM

KALEN-

KALENDIS FEBRVARIIS, ANNO DOMINI M. D. XLIII. 8.

II.) AD SENATVM, EQVITES, POPVLVMQVE POLONVM, ANDREÆ FRICII MODREVII ORATIO SECVNDA, DE POENA HOMICIDII. Addita eſt ORATIO PHILALETIS PERIPATETICI, in Senatulo Hominum Scholaſticorum, de Decreto conventus, quo pagi civibus adimi permittuntur, habita. M. D. XLIII. KAL. APRIL. EX OFFICINA TYPOGRAPHICA MATHIÆ SCHARFFENBERG. GRACCHOVIÆ. M. D. XLV. 8.

III.) AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ET PRESBYTEROS ECCLESIARVM SARMATICARVM, ANDREÆ FRICII MODREVII ORATIO TERTIA DE POENA HOMICIDII. CRACOVIÆ APVD HIERONYMVM VIETOREM. ANNO M. D. XLV. 8.

IV.) AD POPVLVM PLEBEMQVE POLONAM, ANDREÆ FRICII MODREVII QVERELA, DE CONTEMPTIONE LEGIS DIVINAE IN HOMICIDAS, CVI ADIVNCTA EST ORATIO QVARTA EX PSALMIS DAVIDICIS COMPOSITA. Praefixae ſunt Epiſtolae duae; altera ad SIGISMVNDVM PRIMVM patrem; altera ad SIGISMVNDVM SECVNDVM AVGVSTVM filium, Reges Poloniae inclytos, Lituaniae magnos Duces, Ruſſiae, Pruſſiae, Mazoviaeque dominos. &c. APVD MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO M. D. XLVI. 8.

V.) AD REGEM, PONTIFICES, PRESBYTEROS, ET POPVLOS POLONIÆ AC RELIQVÆ SARMATIÆ ORATIO ANDREÆ FRICII MODREVII,

DE LEGATIS AD CONCILIVM CHRISTIANVM MITTENDIS. Addita Gratulatio ad LEONARDVM ALTIPOLITAM Theologum et Ecclesiasten Cracoviensem, et Episcopum Camenecensem designatum. CRACOVIÆ APVD MATHIAM SCHARFFENBERGIVM IDIBVS AVGVSTI. ANNO M.D.XLVI. 8.

XXXIII.

ANTONIVS GAZIVS Patavinus, doctissimus Medicus, idemque usu praestantissimus, provecta iam aetate, in Hungaria, apud primores illius gentis viros mulieresque, salutari arte egregie functus est. Et inde a IOANNE TVRSONE, in civitatem totius Poloniae tunc principem, Cracoviam perductus, SIGISMVNDVM I Regem, morbo immani ac paene desperato, celeri ac facili remedio exemit. Quare maximam apud omnes Polonorum iniit gratiam. Coepitque ibi ceteris Medicis auctoritate praecellere. Habuit filium, SIMONEM nomine, scientia medendi pulchre instructum, eundemque socium, et consortem omnium itinerum suorum, studiorumque, atque laborum. Is, parente demortuo, relictum ab eo opusculum perparvum, quod DE VINO ET CEREVISIA, Nobilium quorundam Polonorum commodo conscripserat, IN REGIA POLONIÆ CRACOVIA. APVD HIERONYMVM

NYMVM VIETOREM. MENSE AVG. AN. MDXXXIX. forma 8 maiori, luce publica donavit.

XXXIV.

ANDREAS GLABER. Cobilinii, Poloniae Maioris oppido haud ignobili, in hanc lucem editus: politioribus litteris in Gymnasio Posnaniensi imbutus: philosophicis autem disciplinis in Cracoviensi Academia institutus, et Magistri titulo condecoratus est. Praecipuum habuit fautorem, NICOLAVM KOSCIELECIVM, Calissiensem Palatinum. Eiusque filiae: cui HEDVIGIS nomen fuit: Zarnoviensis tunc Castellani, SEVERINI BONERI uxori, Musis itidem benevolae ac benignae: PROBLEMATA ARISTOTELIS, PHILOSOPHORVM PRINCIPIS, AC ALIORVM COMPLVRIVM AVCTORVM, TVM PHILOSOPHORVM, TVM MEDICORVM, Polonico sermone explicata, TYPISque SCHARFFENBERGIANIS, ANNO A CHRISTIFERAE VIRGINIS PARTV, M. D. XXXV. forma 8 maiori, pervulgata dicavit.

STANISLAVS GLANDINVS, vide AICHLER.

XXXV.

GVLIELMVS GNAPHEVS Hagen. Batavus, Gymnaſium Elbingenſe, Pruſſiae totius Sarmaticae nobiliſſimum, primus omnium aperuit, et per ſexennium continuum, magna cum prudentia atque diligentia moderatus eſt. Docuit inter caeteros, EVSTATHIVM a KNOBELSDORF, atque ALEXANDRVM a SVCHTEN, ANDREAMque MVNCERVM, ac FELICEM quoque FIEDLERVM, qui et proſa oratione, et carmine maxime inclaruerunt. Cura ipſius, diſcipulorum quorundam ſpecimina Gedani, ex officina FRANCISCI RHODI, anno MDXLI, forma 4, in lucem prodiêre: quae PRIMA ELBINGENSIS SCHOLÆ FOETVRA inſcribuntur. Amicos in primis habuit Elbingae, MICHAELEM SCONAVIVM, Praetorem urbis, ſplendore et dignitate vitae praeſtantem, IACOBVMque ALEXVANGIVM, virum Conſularem, et apprime doctum, ludique litterarii praecipuum auctorem tutoremque. Principibus etiam in Pruſſia viris, ingenio, ac doctrina, moribusque perplacuit. Maximo quidem in pretio eſt habitus, omnique donorum atque munerum genere adornatus, a IOANNE DANTISCO, Varmienſis Eccleſiae Antiſtite, excellentis ingenii, atque optimae eruditionis laudibus, in toto fere ter-

rarum

rarum orbe, tunc celebratiſſimo. Eodemque ſpectante atque applaudente, inſigne illud Drama, cuius titulus eſt, TRIVMPHVS ELOQVENTIÆ, exquiſito magnificoque egit apparatu. Ac prelo Gedanenſis Typographi, FRANCISCI RHODI, anni MDXLI initio, forma 4 excuſum, eidem ipſi Praeſuli, lepida et eleganti epiſtola nuncupavit. Subſequenti autem anno, peſſimis aemulorum atque invidorum artibus, a Maecenate ſuo prorſus alienatus eſt, initique praeter pontificias ſanctiones matrimonii praetextu, Elbingenſi civitate, quae Varmiae Epiſcopo in ſacris paret, Muſis adeo dolentibus, excedere iuſſus: ut GNAPHEVS ipſe quam apertiſſime planiſſimeque retulit, in ANTILOGIA EXTEMPORALI, ADVERSVS QVOSDAM ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ, APVD PRVTENOS NVPER INSTITVTÆ, PROFESSORES ET CONCIONATORES edita. p. 15. ſq.

XXXVI.

SIMOM GORITIVS Pilſnenſis Polonus, in Poëtarum bonorum numero collocari, editis his carminibus maxime meruit:

1.) QVERIMONIA ECCLESIÆ, CHRISTI SPONSÆ: AD VALENTINVM HERBVRTVM EPISCOPVM PREMISLIENSEM, LITTERARVM PATRONVM SINGVLAREM. Elegis ſcripta. AVTORE SIMO-

SIMONE GORITIO PILSNANO. CRACOVIÆ APVD MATTHÆVM SIEBENEYCHER. ANNO MDLXVII. 8.

II.) SIMONIS GORITII PILSNANI CARMEN PANEGYRICVM, DE DIVA ANNA, MATRE VIRGINIS MARIÆ: AD VIGILANTIVM GREGORIVM SAMBORITANVM, DIVÆ ANNÆ IN VRBE CRACOVIA CANONICVM, DECVS POETARVM. Elegis pariter compoſitum. CRACOVIÆ IN OFFICINA MATTHÆI SIEBENEYCHER. ANNO A CHRISTO NATO MDLXVIII. VI KALENDAS AVGVSTI. 8.

III.) SIMONIS GORITII PILSNENSIS ELEGIÆ DVÆ. Altera, Illuſtrium Heroum CAMENECIORVM Geſta continet. Altera, in laudem Generoſi CHRISTOPHORI GLOVÆ, S. R. M. Secretarii, ſcripta. Adjunctis quibusdam Epigrammatis. forma 8. Deeſt anni ac loci indicium.

IV.) SIMONIS GORITII Pilſnenſis, ad VIGILANTIVM GREGORIVM Samboritanum, Poëtam clariſſimum, Elegiae: GREGORII ipſius Poëmatibus interſertae.

XV.

MARTINVS GRADOVIVS Caunenſis Lituanus. Exſtat nitida eius: ELEGIA DE RESVRRECTIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: continens deſcriptionem Pugnae ipſius apud Inferos, et ſimul Triumphi eius aſcendentis ad Patrem. Scripta ad Illuſtriſſimum Principem et Dominum, Dominum NICOLAVM RADZIVIL, Ducem in Olika et

Nieſ-

Niesviz: Palatinum Vilnensem, et Mareschalcum Magni Ducatus Lituauiae, Generalem Brestensem, Szavlensem, et Borisoviensem Capitaneum. ANNO MDLXI. forma 4, sine mentione loci, publicata.

XXXVIII.

VIGILANTIVS GREGORIVS, Latinus Poëta excellens. Samboriae, Regali in Roxolania oppido, frugum omnium atque fructuum, coctilisque salis copia, admodum celebri, hanc lucem adspexit. Cracoviensi ab Academia liberalem omnem artem doctrinamque accepit. Rexit ipse primum litterarium ludum Premisliae. Deinceps Posnaniae, vocatu ANDREÆ CZARNCOVII Antistitis, iuventuti lectiori ac nobiliori, rhetoricen atque poëticen, aliasque litteras humaniores tradidit. Posthac Cracoviam, ab Vrbis huius Senatu, conditione luculentiori retractus, Gymnasio apud Ædem Divae Virginis MARIÆ praefuit. Extremo denique Pontificis Cracoviensis, PHILIPPI PADNIEVII auctoritate, ordinarius theologiae professor ab Academia est assumtus: simulque cognominatae a Diva ANNA Ecclesiae Collegiatae Canonicus creatus. Ingenio fuit suavi, mollique, et copioso. Primus ille quidem omnium, modulatus est pastoricium carmen, apud Sarmatas. Elegias scripsit complures. In qui-

quibus CLEMENTEM IANICIVM, Sarmatarum huius generis Poëtam principem, aemulari nisu magno studuit. Posnaniae BENEDICTVM HERBESTVM, oratoriis scriptis notissimum, praeposuit amicis omnibus. In Vrbe autem Cracovia, cum SIMONE GORITIO, editis Elegis inclyto, familiaritate summa vixit. Egenus semper ac mendicissimus fuit, quamvis Leopoliensis Archiepiscopi STANISLAI SLOMOVII, atque Episcopi Premisliensis VALENTINI HERBVRTI: Palatini item Cracoviensis SPITCONIS IORDANI: Premisliensis Castellani PETRI BARZÆI: Praefecti Samboriensis STANISLAI HERBVRTI: Gnesnensis Archidiaconi STANISLAI DAMBROVII: Primicerii atque Generalis Vicarii Cracoviensis PETRI POREMBII: Vladislaviensis Praepositi MATHIÆ DREWICII: Scholastici Plocensis IOANNIS WITKOVII: Cracoviensis atque Vilnensis Canonici, Regiique Archiatri, PETRI A POSNANIA: aliorumque primariorum, atque gravissimorum in Ecclesia atque Republica virorum liberalitate, munificentiaque persaepe sit sublevatus. Quibus se, speciminibus illis poëticis, commendavit quam diligentissime:

1.) VIGILANTII GREGORII SAMBOR: AMYNTAS, SIVE ECLOGA. In qua mors Reverendissimi Domini FELICIS LIGENZÆ, Archiepiscopi Leopolien. optime de Ecclesia et Republica Polo-

Polona meriti, deploratur. CRACOVIÆ, IN OFFICINA MATTHÆI SIEBENEYCHER. ANNO MDLX. IV. DECEMBRIS. 8.

Eſt haec opella, GREGORII illius, omnium politiſſima, rariſſimaque. Elegis ab ipſo dedicata eſt VALENTINO HERBVRTO, Premislienſi Epiſcopo. E ZALVSCIORVM gaza litteraria furto ſubtracta.

II.) VIGILANTII GREGORII SAMBORITANI; GYMNASII CRACOVIENSIS APVD CRISTIFERAM MARIAM VIRGINEM PRÆFECTI: THEORESIS. CRACOVIÆ, IN OFFICINA MATTHÆI SIEBENEYCHER. ANNO A PARTV VIRGINEO MDLXI. KALENDIS MAII. 8.

De Muſarum ſede ac dignitate: deque ipſarum ſtudio atque munere: Elegiacum carmen terſiſſimum, idque inventu admodum rarum.

III.) GREGORII SAMBORITANI ECLOGA. Qua Archiepiſcopatum Leopolienſem, Reverendiſſimo D. PAVLO TARLONI gratulatur. Hinc autem Poëticae ſtudioſus, cum alia multa, tum Imitationis Poëticae rationem cognoſcet. Cuius cauſa, eiusdem Eclogae explicationem BENEDICTVS HERBESTVS adiunxit. CRACOVIÆ, APVD MATTHÆVM SIBENEYCHER: ANNO A CHRISTO INCARNATO M D LXI. MENSE OCTOBRI. 8.

IV.) VIGILANTII GREGORII SAMBORITANI, IN ACADEMIA CRACOVIENSI COLLEGÆ MINORIS: POLYMNIA. Elegis locuta. CRACOVIÆ: IN OFFICINA LIBRARIA MATHIÆ VIRZBIETÆ: MENSE MAIO. ANNO A CHRISTO NATO MDLXIV. 8. In rariſſimis GREGORII Scriptis habenda.

V.) VIGILANTII GREGORII SAMBORITANI ELEGIÆ II. Vna, de recenti Moſcorum ſtra-

ſtrage. Altera, de Magnifici Domini PETRI BARZÆI, in ipſum autorem, beneficentia. forma 8. anno ac loco diſſimulato.

— Editioni alteri, anni itidem atque loci indicio deſtitutae, appoſita eſt Elegia tertia, ad Magnificum Dominum HIERONYMVM BVZINIVM, Salinarum in Regno Poloniae ſummum Praefectum: doctorum virorum amantiſſimum. Vtraque editio raro reperitur.

VI.) VIGILANTII GREGORII SAMB. RVTHENI: ALEXIS, SIVE ECLOGA. In qua eſt iucunda Reverendiſſimo Domino, D. STANISLAO SLOMOVIO, in Archiepiſcopum Leopolien. electo, facta Gratulatio. CRACOVIÆ, IN OFFICINA MATTHÆI SIEBENEYCHER. ANNO M. D. LXVI. PRIDIE NONAS IANVARIAS. 8.

Kiovienſi hodierno Praeſuli, IOSEPHO ANDREÆ Comiti ZALVSCIO, patriae hiſtoriae ac litteraturae monumentis ditiſſimo: Eclogae huius, ſeorſim in lucem editae, exemplar nullum obvenit; praeterquam illud, quod ipſe poſſidet. Eſt iſta opella, cum ſubſequentibus GREGORII opuſculis, anno eodem, denuo excuſa.

VII.) VIGILANTII GREGORII SAMBORITANI. ECLOGA I, in qua eſt iucunda R. D. Domino STANISLAO SLOMOVIO, in Archiepiſcopum Leopolien. electo, facta Gratulatio. ELEGIÆ IX, in quibus ſunt multa ad Dei gloriam, et clarorum Virorum laudem, pertinentia. EPIGRAMMATA, quae Stemmata continent. SYLVULA, miſta habens Elogia. EPITAPHIA, res funebres comprehendunt. CRACOVIÆ, IN OFFICINA MATTHÆI SIEBENEYCHER. ANNO M. D. LXVI. KALENDIS APRILIBVS. 8.

Elegis

Elegis inſcripta ſunt, Epiſcopo Cracovienſi, Severiaeque Duci, PHILIPPO PADNIEVIO. Sunt longe rariſſima.

VIII.) VIGILANTII GREGORII SAMBORITANI: BIBLIADOS FERIA PRIMA; DE CÆLI ET TERRÆ CREATIONE. Vario carminis genere. In uſum Puerorum, pietatis amantium, facta. CRACOVIÆ, EX OFFICINA MATHIÆ VIRZBIETÆ: MENSE MAIO. ANNO DOMINI MDLXVI. 8.

IX.) VIGILANTII GREGORII SAMBORITANI: CRACOVIENSIS COLLEGÆ MAIORIS: ELEGIÆ ET EPIGRAMMATA QVAEDAM. CRACOVIÆ, IN OFFICINA MATTHÆI SIEBENEYCHER. ANNO A VIRGINIS GENETRICIS PARTV MDLXVII. KALENDIS IANVARII. 8.

Elegis dicata, Cracovienſi Proepiſcopo, MARTINO BIALOBRZESCIO, Eccleſiaſticis Scriptis ſuis celeberrimo. GREGORII libellus eſt rariſſimus.

X.) VIGILANTII GREGORII SAMBORITANI, RVSSI: CENSTOCHOVA. Elegis celebrata. CRACOVIÆ, IN OFFICINA MATTHÆI SIEBENEYCHER. MDLXVIII. VI KALENDAS AVGVSTI. 8.

Praemiſſa eſt Elegia, ad SIMONEM LVGOWSCIVM, Regularium Canonicorum S. Sepulchri CHRISTI Domini, Praepoſitum Miechovienſem Generalem: liberalibus ſtudiis, hominibusque ſtudioſis amiciſſimum. Opuſculum hoc eſt ſummè rarum.

XI.) VIGILANTII GREGORII SAMBORITANI, RVSSI: De primo Magnifici Domini, D. STANISLAI HERBVRTI, in Praefecturam Samborienſem ingreſſu: CARMEN PANEGYRICVM. Elegis contextum. CRACOVIÆ, IN OFFI-

OFFICINA MATTHÆI SIEBENEYCHER. M D LXVIII. DIE SEPTEMBRIS XXVII. 8.

XII.) VIGILANTII GREGORII SAMBORITANI: THEORESIS SECVNDA, SEV PARENTES. CRACOVIÆ, IN OFFICINA MATTHÆI SIEBENEYCHER. M D LXIX. XVI. KAL. MART. 8.

GREGORIVS pauperrimorum Parentum ſuorum virtutes admirabiles Elegiaco carmine eſt proſecutus.

XIII.) VIGILANTII GREGORII SAMBORITANI: VITA DIVI STANISLAI COSTVLI POLONI. Elegis confecta. CRACOVIÆ STANISLAVS SCHARFFENBERG EXCVDEBAT. ANNO DOMINI M D LXX. 8.

— Eadem in Vrbe, ANDREAS PETRICOVIVS, S. R. M. Typographus. ANNO M DC XXXIV. forma ſimili repetiit.

Prior editio valdè eſt rara: alteraque parum obvia. Opuſculo huic praemiſſa eſt Elegia longa, ad STANISLAVM SLOMOVIVM, Sanctae Eccleſiae Metropolitanae Leopolienſis Archiepiſcopum: GREGORII Maecenatem veterrimum atque beneficentiſſimum.

XIV.) GREGORII SAMBOR: NÆNIA, DE MORTE AMPLISSIMI PRINCIPIS, GRAVISSIMIQVE SENATORIS, D. PHILIPPI PADNIEVII, EPISCOPI CRACOVIENSIS ATQVE DVCIS SEVERIÆ. Genere Elegiaco. CRACOVIÆ, IN OFFICINA TYPOGRAPHICA MATTHÆI SIEBENEYCHER. ANNO A NATIVITATE CHRISTI DOMINI NOSTRI M D LXXII. MENSIS APRILIS DIE XXII. 8. Rariſſimè eſt obvia.

GRE-

GREGORIVS ille fato conceſſit Cracoviae, IV Kalendas Martias Anni MDLXXIII: cum ibidem, aliquot ante menſibus, in Æde Divi FLORIANI, Canonici honorem obtinuiſſet; ubi etiam locus ſepulturae ipſi datus fuit. Inſcriptio, tumulo ſuperaddita, GREGORIVM hunc Divi STANISLAI KOSTKÆ: quem Latino vocabulo COSTVLVM vocamus: praeceptorem perhibet. Quod tanto magis eſt mirandum, quo minus, in vita ſanctiſſimi Iuvenis, a GREGORIO ipſo, carmine prolixo fuſoque expoſita, eius rei veſtigium occurrat.

XXXIX.

BARTHOLOMÆVS GROICIVS, Propraetor Vrbis Cracovienſis, civici iuris cognitione, et ſcientia, uſuque maxime inclaruit. AVGVSTINOque ROTVNDO, et IOANNI CERASINO, et PETRO ROYSIO, Iurisconſultis, aetate ſua, in Polonia doctiſſimis, celeberrimisque, amicitia familiaritateque intima coniunctus fuit. GROICIVS, iuſſu SIGISMVNDI Senioris, Poloniae Regis, compoſuit Latine opuſculum, cui titulus eſt: AMBROGATIO ET MODERATIO, ABVSVVM ET SVMPTVVM, QVIBVS LITIGANTES PARTES, TAM APVD SCABINALE, QVAM ADVOCATIALE OFFICIVM, NIMIO ANTEA GRAVABANTVR, NE-

CESSARIO CONSTITVTA, ET PER SENATVM CIVITATIS CRACOVIÆ PROMVLGATA. CRACOVIÆ, APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII, ANNO A CHRISTO NATO MDXLVII. 4. SIGISMVNDI autem AVGVSTI permiſſu, ſermone vernaculo: ORDINATIONEM IVDICIORVM IN CAVSIS IVRIS MAGDEBVRGICI: conſcripſit. Eamque Cracovienſi Typographo, LAZARO ANDREÆ, Anno Domini MDLIX, forma 4. evulgandam dedit. Quam ipſe, ex eiusdem Typographi Officina, Anno MDLXII, forma ſimili, longe et auctiorem, et correctiorem, in medium produxit. De Latinis autem Polonice vertit, Cracoviaeque per LAZARVM ANDREÆ, forma 4 publicavit: ARTICVLOS IVRIS MAGDEBVRGICI QVOD SPECVLVM SAXONVM NVNCVPATVR. MDLVIII. itemque MDLX. et MDLXV. TAXAM IVDICIALEM IN CAVSIS IVRIS MAGDEBVRGICI. MDLXII. INDICEM, IN ORDINATIONEM IVDICIORVM, INQVE ARTICVLOS IVRIS MAGDEBVRGICI ET CÆSAREI MDLXVII. TITVLOS IVRIS MAGDEBVRGICI: ORDINATIONI IVDICIORVM, ET ARTICVLIS IVRIS, LINGVA POLONICA EDITIS: IN CAUSIS HVIVS TEMPORIS GRAVISSIMIS ET DIFFICILLIMIS, EX EODEM IVRE SVPERADDITOS, MDLXXIII. et MDLXXV. CRIMINALIS IN-

INQVISITIONIS RATIONEM, E CAROLI QVINTI CÆSARIS CONSTITVTIONIBVS EXCERPTAM. MDLXXXII. Quae, GROICIO mortuo, coniunctim in Vrbe Cracovia, a MATHIA ANDREOVIENSI, in Officina Typographica LAZARI, Annis MDCXVI et MDCXIX, excuſa: a FRANCISCOque CÆSARIO, cum Variorum additamentis, Anno MDCXXX, formulis ſuis propriis repetita fuere. Inventum eſt, in defuncti GROICII ſcrinio epiſtolarum, IODOCI ſive IVSTI DAMHOVDERII Brugenſis, nobiliſſimi apud Belgas Iurisconſulti: PVPILLORVM ET VIDVARVM PATROCINIVM, in quo nervoſè tractatur, DE TVTORVM ET CVRATORVM MVNERE: a GROICIO ipſo Polonice redditum. Quod a filiis ſuis, GABRIELE et IOANNE GROICIIS, e Typographeo ANDREÆ PETRICOVII, Anno Salutis humanae MDCV, forma 4 in lucem fuit prolatum.

XL.

FLORIANVS GROTH, homo eleganter eruditus, idemque patriarum legum peritiſſimus, ſub principatu SIGISMVNDI III, in Cancellaria Regia, Notarii officium dexteritate ſingulari obivit. Auctor ipſe eſt, operis utiliſſimi, maximeque nobis neceſſarii, ſed prorſus ignoti, pauciſſimisque

visi, quod sic inscribitur: DE REBVS FISCI, SIVE DE BONIS REGALIBVS ET REIPVBLICÆ, LEGES. Ex Statutis Et Constitutionibus Regni, In Vsum Praefectorum Thesauri, Atque Bonorum Regalium, Excerptae Et Compendio In Ordinem Redactae. CRACOVIÆ IN OFFICINA ANDREÆ PETRICOVII, S.R.M. TYPOGRAPHI. ANNO DOMINI M.DC.XVI. Fol.

XLI.

IOANNES GROTOVIVS, Eques Polonus: APOPHTHEGMATVM FLORES IVCVNDISSIMOS. Ex optimorum quorumque Illustrium Virorum, Regum ac Heroûm Polonorum, Dictis et Factis insignioribus, collectos. CRACOVIÆ, IN OFFICINA MATTHÆI SIEBENEYCHER. M D LXXIIII. forma 8 divulgavit.

XLII.

PHILIPPVS GVNDELIVS Pataviensis Boius, cum Viennae, Germanici Imperii sede, iuris civilis disciplinam, ac eloquendi facultatem, ingenti concursu iuventutis profiteretur: editis oratiunculis suis, poëmatiisque, Poloniae Regis Oratori, IODOCO LVDOVICO DECIO cognitus est, perque clari nominis virum, IOACHIMVM VADIANVM, amicissimus ac familiarissimus ipsi factus. Cuius potissimum opera atque consilio, a Rege SIGIS-

SIGISMVNDO, e Viennensi Academia, in Cracoviensem mercede magna conductus, atque in numerum praestantissimorum Iurisconsultorum receptus est. Explicuit ibi pontificium simul civileque ius publica auctoritate. Et IVRIS VTRIVSQVE LECTIONES: AD SACRATISSIMVM ET SERENISSIMVM PRINCIPEM, SIGISMVNDVM HVIVS NOMINIS PRIMVM, POLONIAE REGEM, MAGNVMQVE LITHVANIAE DVCEM. IN REGIA VRBE CRACOVIENSI. PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO GRATIAE MDXXIII. DIE XIII MENSIS FEBRVARII. forma 4, curavit evulgandas. Ediditque LIBELLVM, DE OFFICIO ET POTESTATE VICARII EPISCOPALIS. CRACOVIAE IN OFFICINA FLORIANI VNGLERII. ANNO SALVTIS NOSTRAE. M. D. XXIII. MENSE DECEMBRI. forma 8. Quem seniori Pontifici Cracoviensi, IOANNI CONARIO, illiusque Adiutori, PETRO TOMICIO, Posnaniensium Antistiti, Regnique Poloniae Procancellario, dedicavit. Exstinctum postea CONARIVM laudavit nitida ac bene composita oratione. Quae, mense Maio anni MDXXV, ab VNGLERIO, forma 4 maiori, excusa est. Fuit apud CONARIVM illum, TOMICIVMque, magno in amore atque existimatione, ob eximiam ac prope singularem universi iuris intelligentiam, plenamque ac perfectam rerum

omnium forenſium cognitionem. Atque eundem locum amicitiae tenuit apud ANDREAM CHRICIVM, Epiſcopum eo tempore Premiſlienſem, virum doctum in primis, et ingenioſum, et in dicendo exercitatum, poëticisque facetiis ac leporibus affluentem. Quo cum ſaepenumero coenavit, alternisque certavit carminibus. Eoque hortatore et ductore, POEMA illud HEROICVM, quod inſcriptum eſt, DE GESTIS DIVI ADALBERTI POLONIAE PROTOMARTYRIS. IN INCLYTA VRBE CRACOVIENSI. APVD HIERONYMVM VIETOREM. ANNO AB ORBE REDEMPTO M.D.XXVI. IDIB. QVINTIL. forma 8 maiori, in hominum conſpectum protulit. A DECIO, Regis tunc intimo, cum admiratione cultus, dilectusque eſt, omnique opera ac re adiutus. Cui et in mutui perpetuique amoris teſtimonium: DE CHRISTI DOMINI PASSIONE: DEque SERVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI RESVRRECTIONE: gemellas ELEGIAS, pias ſane, et teneras, et caſtas: IN REGIA POLONIAE, CRACOVIA: PER HIERONYMVM VIETOREM. KAL. APRILIS. ANNO MDXXVII. forma 8 maiori exſcriptas, conſecravit. Effinxitque iam Viennae, in SIGISMVNDVM Sarmatiae Regem, atque in BONAM Reginam, inque SIGISMVNDVM AVGVSTVM Filium Regium, et in IODOCVM LVDOVICVM

illum

illum DECIVM Regiae Maiestatis tum Secretarium, ELEGIDIA haud insuavia: quae DECII eiusdem, DE VETVSTATIBVS POLONORVM, DEQVE IAGELLONVM FAMILIA, ET DE SIGISMVNDI TEMPORIBVS, commentariis praemissa fuere. Etiam tunc temporis, cum a Germanorum Rege, FERDINANDO, amplissimis praemiis in Austriam revocatus, atque a consiliis assumtus, ac florentissimae celeberrimaeque Viennensis Academiae Rector et Moderator creatus esset, isti suo DECIO, eandem animi constantiam ac fidem, dicatis ei CARMINVM LIBRIS II, qui VIENNAE AVSTRIAE, sub finem ANNI MDXXXIX, forma 8, lucem adspexêre, luculenter testatus est. Scripsit praeterea, ad eum ELEGIAM admodum elegantem, CRACOVIAE, APVD VIDVAM VNGLERIAM VIII ID. MAII, ANNO A CHRISTO NATO MDXLVIII. forma 4, in vulgus editam: qua optimum maximumque Polonorum Regem, SIGISMVNDVM, mortalitate, interceptum deflevit.

XLIII.

IOANNES GYSÆVS, Varsaviensis Consulis IACOBI filius, peradolescentulus poëticae indolis specimina duo pulchella dedit. Vnius inscriptio haec est: IN OBITVM

SERENISSIMI AC INVICTISSIMI STEPHANI REGIS POLONIÆ, MAGNI DVCIS LITVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆQVE, NEC NON PRINCIPIS TRANSYLVANIÆ, ETC. ETC. CARMEN FVNEBRE Elegiacum IOANNIS GYSÆI VARSOVIENSIS. Quod vix egreſſus pueritiam ſcripſit. CRACOVIÆ, ANNO DOMINI M. D. LXXXVIII. forma 4. Alterum titulo illo inſignitur: CHARITES, SERENISSIMAM ANNAM, DEI GRATIA REGINAM POLONIÆ, ET MAGNAM DVCEM LITVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆQVE, ETC. ETC. *In ingreſſu ſuo Cracoviam, Anno Domini 1588*, vario carminum genere, SALVTANT. IOANNE GYSÆO VARSOVIEN. *ad lyram tenero aetatis plectro praecinente*. CRACOVIÆ, ANNO DOMINI M. D. LXXXVIII. eadem forma. De reliqua huius GYSÆI aetate, reliquoque eius cum Muſis commercio, haud conſtat.

XLIV.

IOANNES HALLER, typographicae artis apud Polonos conditor, SIGISMVNDO I imperium Polonicum obtinente, ad magnam famam, dignationemque atque fortunam pervenit. Namque a Craco-

vienſi

vienſi Civitate, totius Poloniae tunc ſplendidiſſima potentiſſimaque, in Senatorium Ordinem aſcitus, ac Conſul factus eſt. A ſummis autem, clariſſimisque Academiae doctoribus, IOANNE GLOGOVIENSI, et MICHAELE VRATISLAVIENSI, MATHIAque MIECHOVIENSI, publicis elogiis, litterariisque dedicationibus certatim decoratus. Maximoque opere à IOANNE LASCIO, Gneſnenſi Archipraeſule atque Regni Primate: PETROque TOMICIO, Epiſcopo tum Poſnanienſi, Cracovienſisque Epiſcopatus Coadjutore: et ERASMO VITELLIO, Plocenſi Praeſule, et ANDREA CRICIO, Antiſtite Premislienſi: aliisque in Eccleſia atque Republica principibus, ac primariis viris dilectus, atque largiſſimis affectus muneribus. A doctis atque eruditis omnibus, et a ſacerdotibus cumprimis cultus, et obſervatus eſt diligentiſſime. Quibus ille, nec ſua opera, neque pecunia, neque re familiari defuit. Excuſos ab eo libros, in RELATIONE DE LIBRIS RARIORIBVS POLONICIS, QVI IN ZALVSCIANA BIBLIOTHECA REPERIVNTVR, P. I. p. 32 — 38. et p. 44 ſq. itemque P. II. p. 81 — 85. et P. III. p. 77. denique P. IV. p. 99 — 184. atque in opuſculo praeſenti, occaſione praebita, ſtudioſe accurateque commemoravimus. A SIMONE STAROVOLSCIO, eruditiſſimo ac diſertiſſimo Polonorum Encomiographo, in ſuis

ſuis ELOGIIS ET VITIS CENTVM ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM, Edit. Venet. p. 102. Elogio IOANNIS GLOGOVIENSIS, noſtri illius HALLERI haud ingrata inſerta eſt mentio. Attributaque ei EXERCITIA AD PHYSICAM, ſuo quaſi Marte compoſita; quae principi Polonorum litteratorum, IOSEPHO ANDREÆ e ZALVSCIIS Comitibus, Kioviae atque Czerniechoviae Antiſtiti, abditiſſimas patriarum omnium bibliothecarum latebras, non ſine diligentia maxima, inveſtiganti atque perſcrutanti, nusquam occurrerunt.

XLV.

JOANNES HARZVGE, Judaeus genere, CHRISTI Eccleſiae conciliatus, primus omnium, ſacroſanctum NOVUM TESTAMENTVM, in uſum Nationis Judaicae, characteribus Hebraeo-Theotiſcis expreſſum, Cracoviae in lucem eduxit. Eſt illud ſic inſcriptum: DAS NEUE TESTAMENT. DAS DA WIRD GENANT EUANGELION, DAS IST IM TEUTSCH, EINE FROELICHE BOTSCHAFFT: GLEICHWIE IM HEBRAEISCHEN, בשורה טרבה· GEDRUCKT ZU KROKAW, DURCH PAUL HELICZ IM IAHR 1540. Folii magnitudine.

XLVI.

XLVI.

CHRISTOPHORVS HEGENDORFFINVS Lipſienſis, homo ingenioſus ſane, inſtructusque et Graecis litteris et Latinis: a Praeſule Poſnanienſi, IOANNE LATALSCIO, eruditorum virorum percupido, in celeberrimum illud Gymnaſium, quod ab egregio magnanimoque praedeceſſore ſuo, IOANNE LVBRANSCIO, Poſnaniae excitatum eſt, humanitate ſumma invitatus, omnibusque rebus liberaliſſime tractatus: annis quinque continuis, optimos utriusque linguae auctores diligenti opera praelegit, promtioresque atque alacriores adoleſcentulos ſcribendi pariter ac declamandi arte bene et ſedulo exercuit. Praeter LATALSCIVM illum Antiſtitem: LVCAM quoque Comitem a GORCA, Palatinum Poſnanienſem, eiusque filium, ANDREAM nomine, Caliſſienſem tum Caſtellanum, non ſtudiorum tantum, verum etiam ſtudioſorum amantiſſimos, et erga ſeipſum benevolentiſſimos, atque beneficentiſſimos cognovit. NICOLAVM etiam KOSCIELECIVM, Palatinum Caliſſienſem, re doctus, intellexit, et didicit, ſuae induſtriae, et laudi, virtutique ſemper faventem. Breſtenſem autem Caſtellanum IOANNEM Comitem LESCINIVM, adeo cepit, et eruditione, et probitate, et laborum patientia, ut ille unicum ipſi natum ſuum,

RAPHA-

RAPHAELEM, in disciplinam traderet: qui adolescentia ineunte, obtento Palatini Brestensis loco, reliquos omnes Regni Senatores, consilii gravitate, ac dicendi maiestate superavit. A Posnaniensi Canonico, NICOLAO IACTOROWSCIO, amatus est medullitus. Sed a GREGORIO SAMOTVLIO, Cathedrali ibidem Archidiacono, eloquentiae invidia, gentisque odio, haereticus deterrimus, ac perditissimus propalam iudicatus, reprehensusque. In quem ille invicem, immani livore, ac maledicendi libidine, grassatus est. Cum THOMA BEDERMANO, Gymnasii tunc Praefecto, aetate venerabili, multisque litteris praedito, iucunda ei amicitia consuetudoque fuit. Nec minus familiariter usus est, IOSEPHO STRVTHIO, adolescente admodum erudito et perurbano. LATALSCIO, patrono suo maximo, e pontificia Posnaniensium Cathedra, ad Cracoviensium Episcopatum, dignitate, et amplitudine, opulentiaque apud Polonos praecipuum, translato, refugit in patriam. Polonicam iuventutem, multis et variis opusculis, ad studia humanitatis ac litterarum, allexit atque excitavit. Supersunt in publica ZALVSCIORVM bibliotheca:

1.) DE RECTA STVDENDI ET VIVENDI RATIONE, AD BONARVM LITTERARVM VIRTVTVMQVE STVDIOSOS, IN GYMNASIO POSNANIENSI, ADHORTATIO. AVTORE CHRISTO-

PHO-

PHORO HEGENDORPHINO. APVD REGIAM CRACOVIAM. IMPRESSVM PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO A CHRISTO NATO, MILLESIMO QVINGENTESIMO TRIGESIMO. MENSE IANVARIO 8.

II.) DECLAMATIO GRATVLATORIA, IN CORONATIONEM SERENISSIMI IVNIORIS POLONIAE REGIS, IN GYMNASIO POSNANIENSI HABITA. AVTORE CHRISTOPHORO HEGENDORPHINO. CRACOVIAE IN AEDIBVS HIERONYMI VIETORIS. ANNO M. D. XXX. 8. Dedicavit hanc Declamationem, IOANNI LATALSCIO, Episcopo Posnaniensi.

III.) ENCOMIVM TERRAE POLONIAE. AVTORE CHRISTOPHORO HEGENDORPHINO. CRACOVIAE IN AEDIBVS HIERONYMI VIETORIS. ANNO M. D. XXX. 8. Istud Encomium, LVCÆ Comiti à GORCA, Posnaniensi tum Castellano, ac Maioris Poloniae Praefecto, obtulit.

IV.) ORATIO IN ARTIVM LIBERALIVM LAVDEM, CORAM FREQVENTI ERVDITORVM CONSESSV, IN NEACADEMIA POSNANIENSI HABITA. AVTORE CHRISTOPHORO HEGENDORPHINO. IN REGIA VRBE CRACOVIENSI HIERONYMVS VIETOR IMPRESSIT. ANNO REDEMPTIONIS HVMANAE M. D. XXXI. 8. Statimque HAGANOAE IOANNES SECERIVS typis suis repetiit.

V.) LEGES ET INSTITVTA NOVAE ACADEMIAE POSNANIENSIS. AVTORE CHRISTOPHORO HEGENDORPHINO. CRACOVIAE EXCVDEBAT HIERONYMVS VIETOR ANNO

NO

NO SALVTIS MILLESIMO QVINGENTESIMO TRIGESIMO SECVNDO. XIII. KAL. AVG. 8.

VI.) DE EDVCANDIS ERVDIENDISQVE PVERIS NOBILIBVS, LIBELLVS. IN VSVM NOVAE ACADEMIAE POSNANIENSIS, CONSCRIPTVS PER CHRISTOPHORVM HEGENDORPHINVM. CRACOVIAE IMPRIMEBAT HIERONYMVS VIETOR MENSE OCTOBRI ANNI MDXXXIII. 8. Libellum hunc, Calissiensi Palatino, NICOLAO KOSCIELECIO, sacrum esse cupiit.

VII.) RVDIMENTA PIETATIS CHRISTIANAE, VERSIBVS, VT PVERI EA FACILIVS IN MEMORIAM REPONERE POSSINT, CONSCRIPTA A CHRISTOPHORO HEGENDORFFINO. LIPSIAE EXCVDEBAT NICOLAVS FABER. ANNO M. D. XXXIII. 8. Subsequenti anno, IN REGIA VRBE CRACOVIENSI, HIERONYMVS VIETOR, denuo evulgavit. HEGENDORFFINVS, nobilissimo atque ornatissimo discipulo suo, RAPHAELI Comiti LESCINIO, inscripsit.

VIII.) STICHOLOGIA, SEV RATIO SCRIBENDORVM VERSVVM, STVDIOSIS IN NEACADEMIA POSNANIENSI DICATA. ITEM: RATIO QVAEDAM COMPENDIARIA RECTE INSTITVENDI STVDIA. ITEM: ENCOMIVM PHILOSOPHIAE EX EROTICO DEMOSTHENIS LATINUM FACTVM. AVTORE CHRISTOPHORO HEGENDORFFINO. EXCVSVM VITTEMBERGAE PER GEORGIVM RHAV. A. MDXXXIIII. 8. Trina illa opuscula, IOANNI Comiti LESCINIO Castellano Brestensi, et Praefecto Radieioviensi, nuncupavit. STICHOLOGIA, CRACOVIAE APVD VIDVAM FLORIANI. AN. MDXLIV. seorsim in lucem fuit revocata.

IX.) ADA-

IX.) ADAGIORVM SELECTORVM CENTVRIAE V. PER CHRISTOPHORVM HEGENDORPHINVM CONGESTAE. CRACOVIAE HIERONYMVS VIETOR IMPRIMEBAT. ANNO SALVTIFERO M. D. XXXV. PRIDIE NONAS MAIAS. 8. Dedicata eſt haec opella, NICOLAO IACTOROWSCIO, Cathedralis Eccleſiae Poſnanienſis Canonico, quem HEGENDORFFINVS ille, in Epiſtola ad eum praemiſſa, virum integerrimum et ſuaviſſimum, omniumque iudicio doctiſſimum, atque amicorum ſuorum longe principem appellavit.

X.) QVERELA ELOQVENTIAE. HELLEBORVS, GREGORIO SCHAMOTVLANO, ARCHIDIACONO POSNENSI, NON SATIS COMPOTI MENTIS, PARATVS A CHRISTOPHORO HEGENDORFFINO. Cui acceſſit Farrago errorum pudendorum, eiusdem Archidiaconi Poſnenſis, et in rebus Sacris, et Iure. Explicantur autem, in hoc libello, et leges multae, et iura pontificia, loca Sacrarum ſcripturarum, et alia non indigna cognitione. IMPRESSVM VITTEMBERGAE PER IOSEPHVM KLVG. AN. DOM. M. D. XXXVI. 8. Illa QVERELA ELOQVENTIAE, non minore lepore et elegantia, quam modeſtia verecundiaque expoſita eſt ANDREÆ Comiti à GORCA, Caſtellano Caliſſienſi, Romanae linguae facundia percelebri. HELLEBORVS, acerbiſſimorum ac foediſſimorum, in GREGORIVM illum SAMOTVLIVM, conviciorum colluviem olens, ad iuvenem genere et ſtudiis clarum, STANISLAVM BROCHOWSCIVM, miſſus fuit: addita ad ipſum Epiſtola, in qua multa quoque contumelioſè et aſperè de SAMOTVLIO ſunt dicta.

XI.) COMPENDIARIA CONSCRIBENDARVM EPISTOLARVM RATIO IN GRATIAM ADOLESCENTVM STVDIOSORVM, A CHRISTOPHORO HE-

HEGENDORPHINO, ET CONSCRIPTA, ET RECENS EDITA. CRACOVIAE, APVD HIERO. VIE. ANNO DO. M. D. XXXVII. 8. Libellus iste inscriptus est, gravi et docto adolescenti, MATHIÆ LANGO DANTISCO.

XII.) DEMOSTHENEA, PRO RHODIORVM LIBERTATE, ORATIO, A CHRISTOPHORO HEGENDORPHINO, E GRAECO IN LATINVM TRANSLATA SERMONEM, ET RECENS EDITA. CRACOVIAE IN OFFICINA CHALCOGRAPHICA HIERONYMI VIETORIS. IDIBVS MARTIIS, ANNO A NATALI CHRISTI, M. D. XXXVIII. 8. Editioni huic praefixa est Epistola ad LVCAM Comitem à GORCA, Posnaniensem iam Palatinum, politissimè scripta.

XLVII.

REINHOLDVS HEIDENSTEINIVS, Polonicarum rerum auctor nobilissimus, originem suam Germaniae, natales autem Prussiae Polonae debebat. Genus enim paternum suum ducebat, e HEIDENSTEINIORVM familia illa, quae apud Francones quondam, fortunis pariter atque honoribus, conspicua fuit. Pater eius, BERNHARDVS nomine, publicae dignitatis negligens, domum suam cura singulari administravit. Matrem, ANNAM CROCOVIAM, Pomeranorum stirpe vetustissima et speciosissima prognatam, habuit. Editus REINHOLDVS ipse, in lucem hanc communem, est Solencini, rure paterno

terno, ab Vrbe Gedanenſi haud longe diſſito. Inque parentum ſuorum gremio, litteratura prima, pietateque catholica, imbutus eſt optime. Altiorem autem eruditionem, partim in Germaniae, partim in Italiae, partimque in Galliae Gymnaſiis florentiſſimis, abunde ſibi comparavit. Reverſus domum eſt viridiſſimo aetatis flore. Brevique, ingeniorum aeſtimatori intelligentiſſimo, IOANNI ZAMOSCIO, Regni Polonici Cancellario, atque copiarum Duci ſupremo innotuit. Cuius favore ſubvectus, aditum ſibi, ad Regem facundiſſimum ipſum, doctiſſimumque, atque ſagaciſſimum, STEPHANVM BATHOREVM, invenit. Qui vivido HEIDENSTEINII ingenio, iudicioque acri et terſo, dicendi etiam illius atque ſcribendi elegantia, copiaque, atque gravitate, plurimum oblectatus: in ſcribendis epiſtolis principalibus, ab ipſo voluit iuvari: inque profectionibus omnibus, atque expeditionibus bellicis, conſiliorum ſuorum adminiſtro, atque actionum omnium ſocio ac teſte, eodem uti. Cui, praeter ſtipendium opulentum, praediorum duorum regalium uſum, ad omne vitae tempus attribuit: ac denique Nobilis indigenae honorem atque iura impertivit. Quo Rege magnanimo, fatis defuncto: SIGISMVNDO TERTIO, litterarum itidem, atque virorum litteratorum cupidiſſimo, idem offi-

cium ſuum, tanta diligentia, prudentiaque, atque fidelitate approbavit; ut ab ipſo, ad tractanda Prutenica negotia maxima, componendasque cum Principibus vicinis lites difficillimas, in primis adhiberetur. Regisque huius nomine, ad convocatos Pruſſiae Ordines, et Pomeraniae Duces, Orator frequenter adiit. Quibus obſequiis, non Regibus tantum, ſed etiam univerſae Nobilitati Polonae, Regnique Pontificibus, et alterius ordinis Proceribus, commendatiſſimus fuit. Apud ZAMOSCIVM quidem, Regni Cancellarium, atque exercituum Imperatorem, conſilio et potentia floruit maxime. Uſusque ZAMOSCIVS eſt ipſo, ad SIGISMVNDVM TERTIVM Regem, interprete et internuncio praecipuo: quando provecta iam aetate, aeger et corpore, et animo, a curia ſeſe ſubtraxerat. Apud Pruſſos, ſumma eius exiſtimatio, auctoritasque fuit. A quibus, ad corrigendum IVS TERRESTRE ſuum, fraterna unanimitate eſt delectus. Inter collegas ſuos, TIDEMANNVS GISIVS, candidiſſimi vir animi, ſuaviſſimique atque doctiſſimi ingenii, ante alios omnes, ipſi in amoribus fuit. Quem, morte immatura ſibi praereptum, diu luxit. Familiarius deinceps uſus eſt MATTHÆO PISCOREVIO, culto oratore, poetaque extemporali. Adductusque eſt a ZAMOSCIO ipſo, Maecenate indulgen-

gentiſſimo, in amicitiam conſuetudinemque IOANNIS COCHANOVII, carminum Latinorum, vernaculorumque principis. Quo demortuo, SIMONIS SIMONIDÆ, poëtica virtute eminentiſſimi, ſocietatem maximi fecit. Mors ZAMOSCII Magni pergrandi vulnere afflixit HEIDENSTEINII animum. Amabatur quidem ille vehementer ab Antiſtite Culmenſi, LAVRENTIO GEMBICIO, facto Regni Poloniae Cancellario. Ab eoque, ob reipublicae peritiam uſumque, praeferebatur regiarum epiſtolarum ſcriptoribus omnibus. Verum placatioris, tranquillioris que vitae deſiderio maximo affectus, rude donari petiit. Relictaque aula regia, reliquos dies ſuos, memorandis rebus illis impendit: quae, aetate ſua, ipſoque praeſente, ſpectanteque, a Polonis fortuna varia, commutabilique, et multiplici, geſta fuerant. Vixit cum uxore ſua, ERDMVNDA KONARSCIA, muliere ſplendida ac locuplete, mira concordia, mutuaque caritate. Filium, ex ea, IOANNEM procreavit; qui patri ſuo, ingenii atque animi praeſtantia, civilique prudentia, et bonarum omnium artium doctrina exquiſita, ſimillimus: per diverſos officiorum gradus: Gedanenſis Caſtellani locum, in Conſilio terrarum Pruſſiae publico, inque Regni Poloniae Senatu, Ordinum omnium aſſenſione conſcendit. Obiit REINHOLDVS, ſub exi-

tum anni poſt C. N. MDCXX: aetatis ſuae anno quarto atque ſexageſimo. Sepulcri monumento donatus eſt, in Coenobio Olivenſi inclytiſſimo: prout ipſe praeſcripſerat. IOANNES, principio anni MDCLXXIII, e vita exceſſit. Patris nomen maxime viget hisce ſcriptis ſuis, a Polonicae litteraturae vindice acerrimo, IOSEPHO ANDREA Comite ZALVSCIO, Praeſule Kiovienſi atque Czerniechovienſi, ſtudio haud facili collectis:

I.) De Nuptiis Illuſtrium, IOANNIS DE ZAMOSCIO, Regni Poloniae cancellarii, et exercituum Praefecti: ac GRISELDIS BATHOREÆ, CHRISTOPHORI Tranſilvaniae Principis et Sereniſs. STEPHANI Poloniae Regis fratris, filiae: ad Illuſtriſſimum Principem, GEORGIVM FRIDERICVM, Marchionem Brandeburgenſem, in Pruſſia Ducem: REINHOLDI HEIDENSTEINII, Secretarii Regii, *Epiſtola.* CRACOVIÆ, in Officina LAZARI: Anno Domini M. D. LXXXIII. 4.

II.) REINOLDI HEIDENSTEINII, Secretarii Regii, De Bello Moſcovitico, Commentariorum Libri Sex. CRACOVIÆ, in Officina LAZARI: Anno Domini M. D. LXXXIIII. Fol. Editio haec elegantiſſima atque rariſſima eſt.

Paucis poſt annis, prodiit altera, ſic inſcripta: REINOLDI HEIDENSTEINII, Secretarii Regii, de Bello Moſcovitico, quod STEPHANVS, Rex Poloniae geſſit, Commentariorum Libri VI. BASILEÆ per CONRAD. VALDKIRCHIVM. CIↃ. IↃ. XXCVIII. 4.

Eſt

Est deinceps opus praeclarissimum, MARTINI CROMERI, VARMIENSIS EPISCOPI, POLONIÆ: quae COLONIÆ AGRIPPINÆ, in Officina BIRCKMANNICA, Anno M. D. LXXXIX, folii magnitudine edita fuit: p. 733—837 appositum. Locumque, inter RERVM MOSCOVITICARVM AVCTORES VARIOS, VNVM IN CORPVS CONGESTOS: qui FRANCOFVRTI, apud Haeredes ANDREÆ WECHELI, CLAVDIVM MARNIVM et IOANNEM AVBRIVM, Anno M. DC. pari forma, in lucem prodierunt: p. 325—434 obtinuit.

Theotisca huius operis versio, prolata in publicum fuit, ab HENRICO RETHELIO, Consule Saganensi. GORLICII è Typographeo AMBROSII FRITSCHII. MDLXXXX. forma 4.

III.) IVS TERRESTRE NOBILITATIS PRVSSIÆ CORRECTVM. Adhitibis à Provinciae illius Ordinibus, REINOLDO HEIDENSTEINIO et NICOLAO NIEVIESCINSCIO, Secretariis Regiis. Inque Comitiis Generalibus, Mense Martio Anni MDXCVIII Varsoviae celebratis, Regia atque Ordinum omnium auctoritate approbatum atque confirmatum. Cum Gratia et Privilegio Serenissimi Regis Poloniae ad annos decem, excudebat THORVNII ANDREAS COTENIVS Anno Domini cIↄ. Iↄ. XCIX. 4.

IV.) REINHOLDI HEIDENSTEINII: DE VITA IOANNIS ZAMOSCII, REGNI POLONIÆ CANCELLARII ET EXERCITVVM DVCIS SVMMI, LIBRI TRES: AD FILIVM IPSIVS, ILLVSTRISSIMVM THOMAM A ZAMOSCIE ZAMOSCIVM, PRÆFECTVM KNISINENSEM PERSCRIPTI: SOLLENCINI KALENDIS MARTIIS ANNO A SALVTE MVNDI cIↄ. Iↄ. CVI. Fol. Publici autem iuris nondum facti.

Latuit quidem opus istud, annorum fere centum spatio, tenebris sepultum indignissimis. Gedani tandem, in WAESBERGIANA Libraria instructissima, repertum Autographum est, à doctissimo adolescente, rerumque nostrarum studiosissimo, ac bene perito, SAMVELE IOACHIMO HOPPIO. Qui primus omnium, mentionem eius fecit, in SCHEDIASMATE suo LITTERARIO, DE SCRIPTORIBVS HISTORIÆ POLONICÆ, §. XVI. Cuius in manus, Autographum ipsum, divendita Libraria WAESBERGIANA, peruenerit, achuc sum nescius.

ZALVSCIANVS Codex, ALBERTI SMOGORZEWSCII, illiterati hominis manu descriptus est, A. D. MDCXL. Quem litteratissimus vir, LAVRENTIVS MIZLERVS, Consiliarius atque Medicus, idemque Historiographus Regius, in VARSAVIENSIS BIBLIOTHECÆ, Theotisca lingua compositae, Parte II. p. 87 — 102 copiose atque accurate recensuit.

Parat nunc, STANISLAI AVGVSTI, Polonorum Regis omnium sapientissimi, Musisque omnium amicissimi hortatu, operis totius versionem Polonicam, FRANCISCVS BOHOMOLECIVS, Presbyter è Societate IESV, Latinae ac vernaculae eloquentiae temporibus his facile princeps. Quo in labore, exemplo ille ZALVSCIANO utitur.

v.) R. HEIDENSTEINII SOLESCII, SECRETARII REGII CANCELLARIVS: sive de dignitate et officio Cancellarii Regni Poloniae, ad illustriss. et Reverendiss. Praesulem, Dominum LAVRENTIVM GEMBICKI, Dei gratia Episcopum Culmensem, Administratorem Pomesaniensem, Regni Supremum Cancellarium. LIBER SINGVLARIS. BRVNSBERGÆ Typis GEORGII SCHOENFELS. Anno Domini MDCX. 4.

Parvus quidem, sed perelegans, perque utilis libellus. Habitus ille est in rarissimis; donec à GEORGIO

ORGIO PETRO SCHVLTZ, edito proprio ſuo, DE CANCELLARIIS REGNI POLONIÆ COMMENTARIO, fuerit adjectus. Unde etiam integer, à IOANNE OSTROWSCIO DANEYKOWICIO, in SVADÆ POLONÆ ET LATINÆ ſuae Tomum II. Part. II. p. 61 — 76 tranſlatus eſt.

VI.) REINHOLDI HEIDENSTEINII, SECRETARII REGII, RERVM POLONICARVM, AB EXCESSV SIGISMVNDI AVGVSTI, LIBRI XII. Cum Gratia et Privilegio Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae. FRANCOFVRTI AD MOENVM. Sumptibus CASPARI WÆCHTLERI, Civis et Bibliopolae Francof. Typis IOHANNIS ANDREÆ. M. DC. LXXII. Folii magnitudine.

Praeſtans opus: ſed non perfectum. Eductum in proſpectum civium, ab auctoris filio, IOANNE HEIDENSTEINIO SOLESCIO, Gedanenſium iam Caſtellano. Ab eoque, MICHAELI Polonorum Regi, hiſtoriarum ab HEIDENSTEINIO ſcriptarum, et amatori, et admiratori ſingulari, dedicatum, Libri II priores, ab HEIDENSTEINIO ipſo Seniore, diligentia ſumma, parique et gravitate, et libertate confecti: Reipublicae Polonae proſpera, vel adverſa, ab ipſo Divi SIGISMVNDI AVGVSTI exceſſu, usque ad tempus illud memorant: quo STEPHANVS BATHOREVS, Polonorum Rex, à Magno Moſcorum Duce, IOANNE BASILII filio, bellatum fuit provocatus. His, editi olim peculiares: DE BELLO MOSCOVITICO: commentarii ſic annectuntur, ut operis huius poſtumi Librum III, et IV, et V, et VI, ſuppleant. Libri autem VI reliqui, ab HEIDENSTEINIO Iuniore, è chartis parentis optimi collecti: ea deinceps proſequuntur: quae, poſt pacem, cum Moſcis, Zapoliae compoſitam, à Gente Polonorum, usque ad Annum MDCII, domi forisque acta ſunt.

A IOANNE quidem HEIDENSTEINIO adhuc adolescente, eleganter haec, atque eloquenter scripta, editaque sunt: a ZALVSCIOque, Antistite tam erudito, patriorumque monumentorum tam studioso, feliciter acquisita:

I.) IOANNIS HEIDENSTEIN SOLESCII, EQVITIS POLONI, ORATIONES DVÆ. PRIOR, IN OBITVM POTENTISSIMI SIGISMVNDI III, POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS. POSTERIOR, IN FILII EIVS INVICTISSIMI, VLADISLAI IV, NOVI POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS, INAVGVRATIONEM. LOVANII, APVD IOANNEM OLIVERIVM, ET CORN. COENESTENIVM. M. DC. XXXIII. Fol.

II.) AFFECTVS IN VIRGINEM DEIPARAM MARIAM, IOANNIS HEIDENSTEIN SOLESCII, EQVITIS POLONI, Quatuor Orationibus expressus. Quarum I. NATIVITATIS. II. ANNVNTIATIONIS. III. PVRIFICATIONIS. IV. ASSVMPTIONIS. Dignitatem complectitur. ROMÆ, APVD IACOBVM MASCARDVM. M. DC. XXXIV. SVPERIORVM PERMISSV. Fol.

III.) NORMA CIVIS IN REPVBLICA BONI: Somnio IOANNIS ZAMOSCII, Cancellarii quondam Regni Poloniae, et Generalis exercituum Ducis, Immortalis Viri, expressa: et proposita AVCTORE IOANNE HEIDENSTEIN SOLESCIO. DANTISCI, TYPIS HÜNEFELDIANIS. ANNO M. DC. XXXVII. 4.

A ſeneſcente autem ipſo, iucundus liber: DE ELIGENDO VITÆ GENERE: conſcriptus, expolitusque fuit. Qui lucem publicam nondum aſpexit.

XLVIII.

IOANNES HENCKEL, Leutſchoviae, veterrima ac celeberrima Scepuſienſis Terrae civitate, natus eſt: et, ob praeclaram animi atque ingenii indolem, a Scepuſienſium Comite, IOANNE TVRSONE, aedibus ſuis receptus, ſuaque cura atque impenſa educatus, inſtitutusque. Ab eodem, Cracoviam, optimarum omnium artium diſciplinarumque ſedem miſſus, ſolemni ibi ritu, iurium Doctor renunciatus eſt. Ac deinceps, ab altero IOANNE TVRSONE, Vratiſlavienſi Pontifice, Cathedralibus ſuis Canonicis collega annumeratus. Exſtat, in ZALVSCIANA bibliotheca, parvulum opuſculum, ita inſcriptum: SOLILOQVIVM, SIVE PRECATIO PIA AD DEVM PATREM, CVM PECCATORVM CONFESSIONE, ATQVE MALORVM QVIBVS IN HAC VITA SVBINDE AFFLIGIMVR ENVMERATIONE, VENIAE GRATIARVMQVE DEI IMPLORATIONE, EX CANONICIS SCRIPTVRIS DECERPTA, PER IOANNEM HENCKEL CANO. VRATISLAVIEN. EXCVDEBAT CRACOVIAE FLORIANVS VNGLERIVS. ANNO A CHRISTO NATO. 1535. 8.

XLIX.

MATTHÆVS HOLNSTEIN, Boleslavien. Silesius. Studuit Cracoviae, apud Rhetorem IOANNEM VRSINVM, et apud Philosophum IOANNEM STOBNICENSEM. Adulta aetate, factus est ludi litterarii, ad Divae Virginis MARIÆ, Hypodidascalus. Magistrum huiusce ludi, GEORGIVM LIBANVM Silesium, magno studio dilexit: a quo etiam ille valde carus est habitus, ac facultatibus suis frequenter sublevatus. Parique et amore, et necessitudine, junctus fuit, MARTINO DOBRGOST Polono, Cracoviensium ordinario in Æde Divae Virginis Concionatori. Horumque amborum instinctu, suum ENCHIRIDION LOGICAE AC DIALECTICAE. IN COMMVNEM ET VULGAREM VSVM SCHOLASTICAE IUVENTVTIS. EX OFFICINA TYPOGRAPHICA FLORIANI VNGLERII. CRACOVIAE. ANNO DOMIMI MDXXI. X. CAL. OCTOBRIS. forma 8, foras emisit. Triennio ante, curante eo: DIVI EVSEBII HIERONYMI STRIDONENSIS EPISTOLA AD RVSTICVM MONACHVM, QVA VIVENDI FORMAM PRAESCRIBIT, PER ERASMVM ROTERODAMVM DILIGENTISSIME RECOGNITA. CRACOVIAE, APVD HIERONYMVM VIETOREM. forma 4, in lucem exiit publicam. Cui LEONARDI COXI BRITANNI, AD EGREGIVM INSTITVENDAE PVBIS ARTIFICEM,

MAT-

MATTHAEVM HOLNSTEIN, CARMEN ELEGIACVM fuit ſubiunctum.

L.

IOANNES HONTERVS. Natus eſt Coronae, ampliſſima Tranſylvaniae civitate. Studiis liberalibus in Academia Cracovienſi inſtitutus. Hungaricoque ibi Contubernio praepoſitus fuit. Docuit et ibi iuniores populares ſuos artem grammaticam. Exſtant huius: IOANNIS HONTERI CORONENSIS DE GRAMMATICA LIBRI DVO. Quorum prior eſt de octo partibus orationis, Poſterior de ſyntaxi, figuris, et ratione carminum. Adiecta eſt vocabulis expoſitio Polonica. IMPRESSI CRACOVIAE PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO PARTVS VIRGINEI MDXXXII. Ibidemque, EX OFFICINA FLORIANI VNGLERII, ANNO DOMINI MDXXXV, editi. Poſtea, diligenter ab autore recogniti, optimisque regulis et exemplis locupletati. CRACOVIAE, ANNO SALVTIS HVMANAE MDXXXVIII, TYPIS HIERONYMI VIETORIS EXCVSI. Inſequenti autem anno, per MATHIAM SCHARFFENBERGVM deſcripti. Perque eundem Typographum, ANNO MDXLVIII, repetiti. forma 8.

LI.

NICOLAVS HVSSOVIANVS Polonus: iuvenis pauper et aerumnoſus, bonis autem litteris apprime eruditus, poëticaque

caque facultate pulchre inſtructus: DE NOVA ET MIRANDA VICTORIA. Quam Sereniſſimus Princeps et Dominus, D. SIGISMVNDVS, Dei Gratia Rex Poloniae et Magnus Dux Lituaniae, Menſe Iulio Anni MDXXIIII, à Turcis praeter omnem expectationem irruentibus, ſubito et tumultuario conflictu reportavit. Elegiacum carmen, eodem anno. CRACOVIÆ APVD HIERONYMVM VIETOREM. forma 4, in manus politiorum civium emiſit. Heroicumque poëma: DE VITA ET GESTIS DIVI HYACINTHI. Eadem in Vrbe, ex aedibus eiusdem Typographi. Anno Domini MDXXV. forma ſimili, in lucem protulit. Elegiam quoque ſcripſit: DE BISONTE ET EIVS VENATIONE. Quae ab HIERONYMO VIETORE, Anno Domini MDXXIII, forma 8 eſt excuſa: e publica autem Bibliotheca ZALVSCIANA, a litterato quodam raptore, poëtaque ipſo praecellenti, modo aſtutiſſimo ablata.

LII.

BASILIVS HYACINTHIVS, Lituanus natione, patria Vilnenſis fuit. Civiumque more, et conſuetudine communi, ingenium, animumque ſuum, optimis artibus et diſcipliis Patavii maxime excoluit. Eoque in Gymnaſio, clariſſimis et praeceptoribus, et auditoribus, adhuc frequentiſſimo: PANEGYRICVM, IN EXCIDIVM POLOCENSE: atque in memorabilem Victoriam

ctoriam STEPHANI, Invictiſſimi Poloniarum Regis, Magnique Ducis Lituaniae, ex potentiſſimo Moſchorum Principe, III Kal. Septemb. MDLXXIX. reportatam. Ad Inclytum NICOLAVM RADIVILVM GEORGII Filium, Ducem in Dubinki et Birze, eundemque Palatinum Vilnenſem, et Supremum Exercituum Magni Ducatus Lituaniae Ductorem. &c. &c. heroicis verſibus compoſuit. Quem: ſubtextis propriis ſuis, atque amicorum ſuorum, IN STEPHANVM, REGEM POLONORVM INVICTISSIMVM, EPIGRAMMATIS: apud Typographum Patavinum, LAVRENTIVM PASQVATVM, Anno MDLXXX, forma 4, in publicum egredi iuſſit.

LIII.

DANIEL ERNESTVS IABLONSKI, auctor ille heterodoxus: conſummatae eruditionis atque eloquentiae opinione: editisque propriis ſuis, atque aliorum hominum illuſtrium operibus: et epiſtolarum, quae cum viris in litterata Republica eminentiſſimis ei interceſſerunt, commerciis: inter *Diſſidentes in religione Chriſtiana*, aevo ſuo maxime enituit. Patre genitus fuit PETRO IABLONSCIO, *Fratrum Bohemorum* in Polonia Maiori Epiſcopo: matreque ELISABETHA, ipſorum itidem Epiſcopi, IOANNIS AMOS COMENII filia. In Leſnenſi Schola, illo tempore percelebri, omnibus iis artibus, quae ad humanitatem pertinent, diligentiſſime

me operam dedit. Studia autem graviora, Francofordiae ad Viadrum, Oxoniaeque Britannorum Athenis, tractavit aſſiduitate maxima. In patria deinceps moderatus ipſe eſt Scholam Leſnenſem: ſimulque ibi Paſtoris miniſterio in Eccleſia Reformata Polonica functus; donec ab Electore Brandenburgico, FRIDERICO III, concionandi coram ſe provincia ipſi fuerit oblata. Quo in exſequendo munere IABLONSCIVS, Principis Electoris conceſſione: conſalutatus a Fratribus Bohemis, Poloniae Maioris incolis, Epiſcopus: rituque et inſtituto illorum inauguratus: curam quoque ipſorum egit. Ab Electore praeterea, Regis iam Boruſſiae honore et nomine affecto, filii ſui atque ſucceſſoris, FRIDERICI GUILIELMI ſtudiis praepoſitus fuit. Perque eadem ferme tempora: Magnae Britanniae Regina, ANNA imperitante: ab Academia Oxonienſi, theologiae Doctoris inſignibus auctus. Extrema autem aetate ſua, Societati Litterariae, quae ſuaſore ipſo potiſſimo Berolini condita fuit, a FRIDERICO GUILIELMO, Regni Boruſſiae potito, praeſes datus eſt. Multum apud Regem illum valuit auctoritate. Qua ipſe uſus eſt vehementius, in iuvandis ac tutandis popularibus ſuis, ſententiae atque religionis ſuae participibus. Quorum gratia, a IABLONSCIO illo, in vulgus ſunt edita, ſparſaque:

1.) IVRA

I.) IVRA ET LIBERTATES DISSIDENTIVM IN RELIGIONE CHRISTIANA, IN REGNO POLONIÆ, ET MAGNO DVCATV LITVANIÆ. Ex legibus Regni, et aliis Monumentis authenticis, excerpta. ANNO CHRISTI 1708. BEROLINI, EX TYPOGRAPHIA REGIA. Fol.

Altera Editio, priori ſimillima, caret loci nota.

Tertia Stargardiae, à IOANNE NICOLAO ERNESTO, Regii Regiminis Typographo, anno CHRISTI 1715, foliis integris eſt excuſa.

Quarta: auctior longè, emendatiorque: ſine loci indicio, anno ſalutis 1718, et folii magnitudine, et forma, quam octavam vocant, exiit.

Quinta, temporibus his contentioſis promulgata, oculis meis nondum occurrit.

Verſio Theotiſca, edita eſt Stargardiae, è Typographeo ERNESTINO, anno Domini 1714, integris foliis.

Polonica Interpretatio prodiit Regiomonti Boruſſiae, anno ſalutis recuperatae 1718, eadem forma: celato Typographi nomine. Locupletiorque ibidem, anno 1720, in lucem fuit producta. Anno autem hoc 1767, ſine loci ſignificatione, quaternis repetita.

IVRA haec Belgicè reddita: interprete D. L. Nobili Polono: exierunt Amſtelaedami, apud SAMVEŁEM SCHOONEWALDT, anno 1725, forma 8.

Ad ea DISSIDENTIVM IVRA, LIBERTATESque; copioſè et graviter eſt reſponſum, à viro in orthodoxa Eccleſia atque Republica Polonica principe, IOSEPHO ANDREA Comite ZALVSCIO, Poloniae tunc Referendario ſupremo, in vernaculo opere, cuius inſcriptio eſt: DVO GLADII, ADVERSVS DISSIDENTES A FIDE CATHOLICA IN REGNO POLONIÆ EVAGINATI. Part. I. p. 181 — 226.

II.) OPPRESSORVM IN POLONIA EVANGELICORVM DESIDERIA: FVNDAMENTA DESIDERIORVM: MEDIA QVIBVS IUVARI POSSINT.

Id Scriptum, doctissimis Poloniae viris, patriarumque rerum scientissimis, tam est infrequens, ut Kioviensis ipse Episcopus, IOSEPHVS ANDREAS Comes ZALVSCIVS, princeps eruditione auctoritateque dubitet, utrum re adhuc existat. Perpauca enim eius exemplaria, à Berolinensi Typographo Regio sunt exscripta: ab ipsoque auctore, Regum ac Principum potentissimorum Legatis, qui anno MDCCXXIII, publicorum negotiorum causa, in Aula Berolinensi residebant, oblata. Quorum neglectu contemtuve evanuisse ac disperiisse, litteratissimus Praesul arbitratur.

III.) DAS BETRÜBTE THORN, &c. hoc est: THORUNIUM AFFLICTUM, sive de iis, quae in hac Urbe, à die XVI Iulii anni MDCCXXIV, usque ad tempus praesens acciderunt, aperta et accurata *Narratio*. BEROLINI, APVD AMBROSIUM HAUDE. MDCCXXV. 4.

Gallica Versio hunc praefert titulum: THORN AFFLIGÉE, OU RELATION DE CE QUI S'EST PASSÉ DANS CETTE VILLE depuis le 16. Juillet 1724. jusqu' à present, tirée de Memoires certains, et composée sans préjugé pour l'instruction des personnes qui aiment la Justice et la Verité. Enrichie de figures en Taille-douce. TRADUITE DE L'ALLEMAND DE M. JABLONSKI, PREMIER PREDICATEUR DU ROI DE PRUSSE. Par M. C. L. DE BEAUSOBRE A AMSTERDAM Chez PIERRE HUMBERT. MDCCXXVI. 8.

IV.) HI-

IV.) HISTORIA CONSENSUS SENDOMIRIENSIS, INTER EVANGELICOS REGNI POLONIÆ, ET M. D. LITUANIÆ, IN SYNODO GENERALI EVANGELICORUM UTRIUSQUE PARTIS. SENDOMIRIÆ AN. MDLXX. DIE XIV APRILIS INITI. Continua Serie; quae Synodum Sendomirienſem antegreſſa; quae in ipſa Synodo acta; quaeque eam conſecuta ſunt; ex Archivis Eccleſiarum, et Monumentis maximam partem MSS. percenſens: ad praeſens usque tempus deducta. Cui ſubjicitur ipſe CONSENSUS, nec non SYNODI GENERALES, CONSENSUI jungi ſolitae. STUDIO ET OPERA DANIELIS ERNESTI IABLONSKI D. BEROLINI, APUD AMBROSIUM HAUDE, AN. DN. 1731. 4.

Publicato illo opere, mox prodierunt: POLONI LUTHERANI STRICTURÆ FIDELES, AD HISTORIAM IABLONSKIANAM CONSENSUS SENDOMIRIENSIS: Luci publicae expoſitae ab ERDMANN. NEUMEISTER, ad D. IACOBI Hamburg. Paſtore. forma 4. Harum auctor verus, IOANNES CASPAR EBERTI, Eccleſiae Evangelicae apud Zdunenſes in Polonia Maiori Miniſter, fuit. Cui ſubinde reponebatur:

V.) DANIELIS ERNESTI IABLONSKI, ad Virum Pl. Reverend. et Eruditiſſimum, DN. PAULUM ÆMILIUM DE MAUCLERE, Seren. et Potent. Regis Boruſſiae Concionatorem Aulicum, Eccleſiaeque Sedinenſis Paſtorem: EPISTOLA APOLOGETICA. Qua ab ANONYMI STRICTURIS, HISTORIÆ CONSENSUS SENDOMIRIENSIS oppoſitis, Conſcientiae ſuae Candorem et Integritatem placide tuetur. BEROLINI 1731. 4.

Reliqua IABLONSCII munera, gestaque, atque scripta, diligentia summa enarravit: eiusque et faciei, et ingenii, animique picturam venustam dedit: litterator huius aevi praestantissimus, IACOBVS BRVCKERVS, in PINACOTHECÆ SCRIPTORVM NOSTRA ÆTATE LITTERIS ILLVSTRIVM, DECADE II. N. IV. E mutuis LEIBNITII inclytissimi atque IABLONSCII huiusce EPISTOLIS, a IOANNE ERHARDO KAPPIO, praeclare de historia litterarum atque litteratorum merito, Lipsiae in Typographeo BREITKOPFIANO, anno MDCCXLV, forma 8 maiori evulgatis, penitius cognosces, qualis fuerit ipse IABLONSCIVS. Naturae debitum reddidit, VII Kalendas Iunias anni MDCCXLI, senex octogenarius.

LIV.

CLEMENS IANICIVS, Latinus Poëta multo elegantissimus ac venustissimus. Ianusci, vico Gnesnensis Archiepiscopi, natus MDXVI, patre agricola. A quo, ob corpusculi teneritatem, formaeque praestantiam, indulgenter est habitus, studiisque humanioribus dicatus. Quinquennis puer Snenae, Archipraesulis Gnesnensis oppido, litterario ludo traditus. Exinde Posnaniam, in Gymnasium, a LVBRANSCIO Praesule recens con-

conditum, miſſus: ubi, Apollinari quodam viro praeceptore, ingenium ad poëſim efficaciſſimum, divinitusque comparatum, poëtica arte adeo excoluit, ut celeriter inter aequales et condiſcipulos ſuos principatum obtineret: annoque aetatis XVI nondum expleto, capax exiſtimaretur, qui in pleno theatro, applaudentibus atque approbantibus omnibus, maximi Antiſtitis, LVBRANSCII, gloriam laudemque carmine celebraret nobiliſſimo. Ab egeno tamen exhauſtoque parente, valedicere Muſis coactus eſſet, niſi Muſarum ille dux, ANDREAS CRICIVS, Gneſnenſium tum Archipraeſul, Regnique Primas, eum recepiſſet domum ſuam: meliora, laetioraque omnia ipſi pollicitus. Fuiſſetque verba fides ſecuta. Sed properata acerbaque fata eripuere CRICIVM. Damna amiſſi heri rependit Cracovienſis Palatinus, Regnique Poloniae Mareſchalcus, PETRVS KMITA, bonorum ingeniorum ſtudiorumque ſummus fautor atque adjutor. Namque ille IANICIVM, familiarium ſuorum numero addidit, eximiaque liberalitate in Patavinum Gymnaſium, amoeniſſimum illud litterarum domicilium, miſit: ubi eruditiſſimum hominem, LAZARVM BONAMICVM, temporibus illis, bonas omnes artes ac diſciplinas, magna nominis celebritate profitentem, diligenter audivit. Huius inſtitutione, quotidianaque conſuetu-

dine, doctiſſimus eſt factus. Eiusque commendatione, a CLEMENTE VII, Romano Maximo Pontifice, Laurea donatus poëtica. Continuo dehinc varioque morbo affectus: gravatusque maxime diro creſcente hydrope: ſpe citius, quam KMITA, benigniſſimus ipſi, atque munificentiſſimus voluit, ad focos patrios remeavit. Breveque vitae tempus, quod adhuc vixit, Cracoviae in manſuetiorum Muſarum amplexibus transegit: modo audiendo, modo lectitando, modo ſcribendo carmina: modo eruditis amicorum ſermonibus et collocutionibus, tumidi corporis dolorem, depreſſique animi angorem deliniens: donec placidam, natamque Muſis animam, in ipſo aetatis pariter ac famae ſuae flore, effuderit MDXLIII, annos vix natus XXVII. Expoſuit propriam vitam, flebili perquam, nec minus ſuavi, venuſtoque carmine, TRISTIBVS ſuis immiſto. Apud exteros vehementer dilectus eſt, ab aevi illius clariſſimo lumine, PETRO BEMBO Cardinali. In patria ſua, Maecenatibus uſus eſt, praeter CRICIVM, KMITAMque, inſignibus viris, et potentibus: SAMVELE MACIEIOVIO, Plociae tunc Epiſcopo, Regnique Procancellario: HIERONYMOque LASCIO, atque STANISLAO SPROVIO, Siradienſi illo, hoc Podoliae Palatino: SEVERINO denique BONERO, Caſtellano Biecenſi, et PETRO MISCOVIO, Cracovi-

coviensis Ecclesiae Cathedralis id temporis Canonico. STANISLAVM HOSIVM, Cracoviensem tum Varmiensemque Canonicum, amantissimum sui habuit. Magnaque ei, cum MARTINO CROMERO, Canonico Cracoviensi, et Secretario Regio, fuit familiaritas. Cum IOANNE ANTONINO, Medico Regio, Poëtaque haud ignobili: et IVSTO LVDOVICO DECIO, Regio Consiliario: AVGVSTINOque ROTVNDO, publicarum illa tempestate, in Curia Cracoviensi, causarum Procuratore: vixit coniunctissime. STANISLAVM autem ORICHOVIVM, Cathedralem Decanum Premisliensem, valde a se alienum est expertus: invidentemque sibi ingenii gloriam, KMITÆque Maecenatis gratiam. Latino quidem carmine IANICIVS, Polonis omnibus, aetate sua antecelluit: Elegorum inprimis facilitate, et elegantia, et munditia, et dulcedine, cum summis clarissimisque Romanorum ingeniis, TIBVLLO atque PROPERTIO, OVIDIOque conferendus: atque ob Epigrammatum venustatem CATVLLO, argutiasque MARTIALI subiungendus. Vivente adhuc IANICIO, TRISTIVM eius LIBER I. VARIARVMque ELEGIARVM LIBER I. et EPIGRAMMATVM LIBER I. insimul in adspectum lucemque prolati sunt. CRACOVIÆ, EX OFFICINA VIDVÆ VNGLERIÆ. MDXLII. 8. Collaudatique a florentissimo illius temporis

Poëta, GEORGIO SABINO, in nitida ea, et copiosa, Polonicaeque Gentis laudibus plena ac referta Epistola; quam mense Aprili anni MDXLIII, ad STANISLAVM DZIADVSCIVM, Equitem Polonum, ingenii fortunaeque bonis abundantem, doctumque ipsum virum, ac doctorum hominum magnum amatorem exaravit, suisque POEMATIBVS, p. 457-463 adiunxit. Exstincto iam IANICIO, EPITHALAMIVM; quod moribundus ille, SERENISSIMO REGI POLONIÆ, DOMINO SIGISMVNDO AVGVSTO scripserat: amicissimisque sibi viris, ANTONINO atque ROTVNDO legaverat; ab iisdem, MACIEIOVII Praesulis Maecenatisque, prae ceteris omnibus, ab Auctore religiosissime observati et culti, auspicio publicatum est. CRACOVIÆ, APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII, MDXLIII. 4. Ibidemque per HIERONYMVM VIETOREM recusum. Ipsius VITÆ REGVM POLONORVM, ELEGIACO CARMINE, KMITÆ persuasu et inductu DESCRIPTÆ: itemque VITÆ ARCHIEPISCOPORVM GNESNENSIVM, generis eiusdem carmine, CRICII iussu expositae; perdiu abditae tenebris latuere. Priores tandem IACOBVS ZALEWSCIVS, Polonus Eques, virtute praestans atque eruditione, cum humanissimo viro, Polonicaeque Gentis cupidissimo, MARCO AMBROSIO Nissensi communicavit; qui Regio Antverpiensi Typogra-

pogra-

pographo, GVLIELMO SILVIO, ſuaſor et impulſor fuit, ut anno MDXLIII ineunte, forma 8 maiori, elegantiſſimis typis eas exſcriberet. Tum anno MDLXV, CRACOVIÆ, LAZARVS ANDREÆ, pari forma, excudit. Eadem in urbe, exoriente anno MDLXXIII, STANISLAVS SCHARFFENBERGIVS, forma 8 minori, repetiit: addita vita SIGISMVNDI AVGVSTI Regis, ab ANDREA TRICESIO conſcripta. Isque SCHARFFENBERGIVS anno MDLXXV, forma ſimili, novam Editionem adornavit: cui HENRICI VALESII atque STEPHANI BATORI, Poloniae Regum vitas adiecit, quas SEBASTIANVS ACERNVS contexuit. Sub finem anni MDCV, CRACOVIÆ, e TYPOGRAPHEO LAZARI, in Folio prodiere IOANNIS GLVCHOVII, demortui iam Praepoſiti Plocenſis, IMAGINES REGVM POLONIÆ, vernaculo carmine exornatae: Latinis IANICII Elegis, ex Antverpienſi Editione, loco ſuo inſertis: SIGISMVNDI autem AVGVSTI, et HENRICI, et STEPHANI, Regum vitis, ab ANDREA LOEÆCHIO Scoto ſuppletis. Gedani deinde, anno MDCXXI, CLEMENTIS IANICII, DE PRINCIPVM REGVMQVE POLONIÆ VITIS, CARMINA ELEGIACA, ex recenſione IAC. GADEBVSCHII, titulo CHRONICI DYNASTARVM REGNI POLONIÆ inſignita, forma 4, ſeorſim exiiſſe; quibus

I 5 etiam



etiam carmina, in SIGISMVNDVM II AVGVSTVM, HENRICVM, STEPHANVM, et SIGISMVNDVM III accesserint; discimus e SAMVELIS IOACHIMI HOPPII SCHEDIASMATE LITTERARIO, DE SCRIPTORIBVS HISTORIÆ POLONICÆ. §. 10. p. 17. Mihi quidem multum perquirenti et investiganti non obvenit istaec Editio. Est autem in meis manibus Stendaliensis, iuxta Antverpiense exemplar, typis GVSSOVIANIS, anno MDCLXX, forma 12, foedissime impressa. Praefatus est pereruditus quidam homo, primis litteris sui nominis, C. P. subditis. Idemque ipse, visa nulla alia Editione, gesta Regum eorum, penes quos, a SIGISMVNDI I e vita excessu, usque ad MICHAELIS KORIBVTI aetatem, Reipublicae imperium fuit, Elegis suis haud incultis attexuit. Superiorum Regum vitas, ex Antverpiensis Typographi Editione depromtas, ALEXANDER GVAGNINVS, in SARMATIÆ EVROPEÆ DESCRIPTIONE, p. 4. sq. inque RERVM POLONICARVM TOMO I. p. 49. sq. scriptis prosa oratione Regum eorumdem vitis, praemisit. IOANNESque PISTORIVS, in POLONICÆ HISTORIÆ CORPORIS TOMVM II. p. 398 — 402 intulit. Recensitis singulis quibusque Editionibus junctus est IANICII DIALOGVS, IN POLONICI VESTITVS VARIETATEM ET INCONSTANTIAM, Elegiaco

aco Carmine concinnatus. Quod denique ad VITAS ARCHIEPISCOPORVM GNESNENSIVM attinet, eas primum ANDREAS TRICESIVS, Eques Polonus, Secretarius Regius, Graecis Latinisque litteris eruditiſſimus: ſuavisque inprimis, et elegans, et terſus Poëta: HIERONYMO GARWASCIO, Gneſnenſi Metropolitano Cancellario adjutore, divulgavit. CRACOVIÆ. IN OFFICINA STANISLAI SCHARFFENBERGII. ANNO DOMINI MDLXXIV. 8. Adiecitque ipſe ille TRICESIVS eorum vitas, qui ab ANDREA CRICIO, poſt obitum IANICII, Gneſnenſi Metropolitanae Sedi ad annum Salutis MDLXXIV, inauguratione HENRICI VALESII, Sarmatiae Regis memorabilem, praefuerunt. Noſtro demum tempore, vir doctiſſimus, deque Polonicis litteris praecipue atque inſigniter meritus, LAVRENTIVS MIZLERVS, Regius et Conſiliarius, et Medicus, et Hiſtoriographus, GNESNENSIVM ARCHIEPISCOPORVM, REGNIQVE POLONIÆ PRIMATVM VITIS: quas ille, e Gneſnenſis Metropolitani Canonici, STANISLAI BVZENSCII egregio opere, in VARSAVIENSIS ſuae BIBLIOTHECÆ tertium et quartum volumen, inque ſingula ACTORVM LITTERARIORVM REGNI POLONIÆ, ANNIS MDCCLV ET MDCCLVI PVBLICATORVM, Trimeſtria tranſtulit: IANICII atque TRICESII Elegos ſubiunxit. Secretarius autem Regius,

gius, IOANNES EHRENFRIED BOEHMIVS, liberali omni arte et doctrina abunde inſtructus: idemque Pieriis ſtudiis pollentiſſimus: publicum perſaepe inviſens ZALVSCIORVM MVSEVM, cuncta ibi atque ſingula IANICII POEMATA, in unum libellum collegit, et ob inſignem raritatem ac praeſtantiam, adiecta auctoris vita, ornate et pereleganter ſcripta, LIPSIÆ, ſumtibus IO. GEORG. LOEWII, MDCCLV, forma 8 maiori, denuo excudenda curavit. Nitidamque eam, atque emendatiſſimam Editionem, iuſſit ſacram eſſe doctiſſimo huius aetatis, ingeniique dotibus eminentiſſimo Praeſuli, IOSEPHO ANDREÆ Comiti ZALVSCIO, Regni quondam Referendario, Kioviae iam Epiſcopo: cui uni Polonia, praeſtantiſſima domeſticae litteraturae monumenta, accepta refert, patriique nobiliſſimi Auctores aeternitatem immortalitatemque debent. Maximus ille, litteratiſſimusque Antiſtes, in numeroſiſſimo POLONICORVM AVCTORVM CATALOGO, manu ſua confecto, ſingulare IANICIO attribuit Carmen: QVERELA REIPVBLICÆ POLONÆ inſcriptum, annoque M D XXXVIII, absque Auctoris atque loci indicio, forma 4, in vulgus emiſſum: cuius mihi copia nondum facta eſt. Bina Carmina Amatoria, alterum LEVCORHODES, alterum ALPHESIBOEÆ nomine conſpicuum, noluit IANICIVS ad poſte-

poſteros venire. Eaque, cum multis aliis ingenii ſui ſpeciminibus, igni dedit: ut ipſe teſtatur in Elegia, de ſe ipſo, ad poſteritatem ſcripta. NICOLAVS ZORAWSCIVS, limatisſimi ingenii atque iudicii, variaeque eruditionis, et poëticae facultatis laude celeber, cuncta IANICII Carmina magni fecit. REGVM autem POLONORVM VITIS plurimum pretii dignitatisque tribuit, inſperſo ſuo exemplari illo diſticho:

Verſibus expreſſit Regum IANICIVS acta,
Solus Rex fieri dignus ob ingenium.

SIMON STAROVOLSCIVS, gentis ſuae laudator eloquentiſſimus, in ELOGIIS ET VITIS CENTVM ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM, p. 9. magni illius CRICII, Gneſnenſis Archiepiſcopi, Poloniaeque Primatis Elogio, honorificam de IANICIO iniecit mentionem. Inque eodem opere, p. 82, ſq. peculiari eum Encomio cohoneſtavit: loco utroque vitam eius atque ſcripta haud accurate commemorans; IANICII illic, IOANNICII hic cognomine ipſi indito. Idem STAROVOLSCIVS operibus ipſius ARITHMETICAM neſcio quam annumeravit. Illius auctoritate deceptus, IOANNES PETRVS LOTICHIVS, praeclarus Medicus atque Poëta, IANICIVM: quem magni et praeſtantis ingenii

nii Poëtam exiſtimat: in BIBLIOTHECÆ ſuae POETICÆ Volumine IV. p. 82. ſq. IOANNICII appellatione in proſpectum produxit, vitamque ipſius, ſcriptaque perperam expoſuit. Geminique cognomenti tractus errore, CHRISTIANVS GOTTLIEB IOECHERVS, doctus ſane vir, atque omni litteraturae genere excellens, in LEXICI BIOGRAPHICI LITTERARII, Theotiſco ſermone editi, Tomo II, p. 1838, et p. 1895, IANICIVM, unum eumdemque hominem, in duas transvertit figuras: ut probe iam monuit, Carminum IANICII Editor, vitaeque eius Scriptor luculentus, IOANNES EHRENFRIED BOEHMIVS.

LV.

NICOLAVS IASKERVS, Senatus Vrbisque Cracovien. Secretarius. Leopoli, principe Roxolaniae urbe, in hanc lucem editus eſt, parentibus honeſtis atque locupletibus: eorumque cura et induſtria, patrio in Gymnaſio, eloquentia ac reliquis liberalibus artibus bene inſtitutus. Miſſus deinceps in Cracovienſem Academiam, iuris Civilis Studio plurimam operam impendit: praeceptore inprimis uſus GREGORIO SAMOTVLIO, homine doctiſſimo, iuriumque omnium ſcientia clariſſimo. Eoque acriter ſuadente, a Cracovienſis Vrbis Senatu atque Popu-

Populo, ſecretiorum Epiſtolarum officium IASKERO eſt oblatum. Quo, tanta et fidelitate, et dexteritate, prudentiaque functus eſt, ut Civitatis totius amorem: Praeſulisque Cracovienſis, Regnique ſimul Procancellarii PETRI TOMICII benevolentiam: ac Regis Senioris, SIGISMVNDI I gratiam ſibi conciliaret. Edidit ille, ſapientiſſimoque, et iuſtiſſimo Principi, SIGISMVNDO I, Polonorum Regi ſacravit: IVRIS PROVINCIALIS, QVOD SPECVLVM SAXONVM VULGO NVNCVPATVR, LIBROS TRES, OPERA VIGILANTI IN CORRECTIOREM REDACTOS MATERIAM: ADIVNCTIS SIMVL GLOSSIS, ALIISQVE ADDICIONIBVS NOVITER RECOLLECTIS, PRO INTERPRETATIONE TEXTVS MAGIS NECESSARIIS. TOMICIOque, incomparabili Epiſcopo atque Cancellario, duce et auſpice: IVRIS MVNICIPALIS MAIDEBVRGENSIS LIBRVM VULGO WEICHBILD NVNCVPATVM, EX VETVSTISSIMIS EXEMPLARIBVS VIGILANTI OPERA NVPER LATINITATI DATVM, SVMMAQVE CVM DILIGENTIA RECOGNITVM: ADIVNCTIS SIMVL GLOSSIS, ET TEXTVS INTERPRETATIONIBVS, AD ID NECESSARIIS, publicavit. PROMPTVARIVM etiam IVRIS PROVINCIALIS SAXONICI, QVOD SPECVLVM SAXONVM VOCATVR, TVM ET MVNICIPALIS MAIDEBVRGEN. SVMMA DILIGENTIA RECOLLECTVM, protulit, ſpectatiſſimisque Vrbis Cracovien. Senatoribus

ribus dedicavit. Terna illa volumina, IN REGIA POLONIÆ, CRACOVIA, AB HIERONYMO VIETORE, coniunctim excuſa ſunt. ANNO MDXXXV. Fol. Cum FRANCISCO BONERO, eruditiſſimo Cracovienſium Conſule, litteratisque omnibus amiciſſimo, familiariter vixit. Magno honore habitus ab universo Cathedralium Canonicorum collegio. A MATHIA autem MIECHOVIENSI, Medico illo et Hiſtorico celebri, non minus, quam frater, amatus: quem mirifice redamavit et coluit. Eoque demortuo, parvulum ipſius, DE CONSERVANDA SANITATE opuſculum, eleganti ſuo prooemio exornatum, ſub initium fere anni MDXXXV, CRACOVIÆ, per MATHIAM SCHARFFENBERG, forma 8, recudendum curavit.

LVI.

PETRVS ILLICINVS. Italus natione, elegantioribusque artibus optime excultus atque expolitus fuit. Mortuo GEORGIO LIBANO Sileſio, Graecas litteras in Academia Cracovienſi publice docuit. Summe dilectus, et in praecipuo honore eſt habitus, a Cracovienſium tunc temporis Epiſcopo, Regnique Polonici Cancellario, SAMVELE MACIEIOVIO: ita ut ſaepiſſime ab eo non ſine voluptate audiretur, cum, patriciorum juvenum

num flore circumfusus, antiquissima et praestantissima Graecorum scripta explicaret. Est in ZALVSCIANO museo, ILLICINI huius IDYLLIVM, IN LAVDEM SAMVELIS, CRACOVIENSIS ECCLESIÆ ANTISTITIS. Factum hexametris versibus. CRACOVIÆ IMPRESSVM APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII. PRIDIE VIRGINIS DEIPARÆ ASSVMTÆ A. D. 1547. 4. Extatque illius, AD SAMVELEM, CRACOVIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPVM CHRISTI CVPIDISSIMVM: ET INCLYTI POLONIÆ REGNI CANCELLARIVM PROVIDENTISSIMVM, SATYRA. Simili carminis genere scripta. Cuius argumentum: Nemo potest cunctis in qualibet arte placere. Est illa pari forma, sine anni tamen mentione, APVD VIDVAM FLORIANI, foras edita. Consistit et, penes nos, EPITAPHIVM BIONIS, IDYLLIVM ELEGANTISSIMVM. E GRÆCO MOSCHI TRANSLATVM, PETRO ILLICINO INTERPRETE. Addito ipsius EPIGRAMMATE IN SAMVELEM MACIEIOWSKI, CRACOVIENSIS ECCLESIÆ ANTISTITEM, ET REGNI POLONIÆ, GYMNASIIQVE CRACOVIENSIS CANCELLARIVM, GRÆCÆ LITTERATVRÆ AMANTEM MAXIME. CRACOVIÆ, APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII. ANNO CHRISTI NATI MDXLVIII. XX MENSIS SEPTEMPRIS. forma 4, promulgatum. Nuperrimeque litte-

rariae gazae noſtrae acceſſit: PETRI ILLICINI ORATIO, DE HOMINE ET DISCIPLINIS. In qua et juvenes ad litterarum ſtudia excitantur. CRACOVIÆ, APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII. M. D. XLIX. forma 8, publicae luci expoſita.

LVII.

NICOLAVS de KAMIENIECZ, Ordinis Praedicatorum, e Roxolana Congregatione. A nobiliſſimo Polonorum propugnaculo, Camenecio, in quo ille fuerat natus, tulit cognomen. Patrio Coenobio, ſumma cum gravitatis atque integritatis laude, praefuit. Ediditque non indoctam EXPOSITIONEM: IN BULLAM SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI. DOMINI LEONIS PAPE X. CUM PLENARIA IDULGENTIA. UNA CUM DECLARATIONE EIUSDEM PRO INSTAURATIONE CASTRI KAMIENIECZ. QUINTA MENSIS AUGUSTI. AN. DNI. MDXVI. IN REGIA CIUITATE CRACOUIA IMPRESSVM PER FLORIANUM UNGLERIUM: IMPENSIS DOMINI IOANNIS HALLER CIUIS CRACOUIEN. ANNO CURRENTE. 4.

LVIII.

SEBASTIANVS FABIANVS KLONOWICZ, vide ACERNVS.

EVSTA-

EVSTATHIVS a KNOBELSDORF, nitidiſſimus ſuaviſſimusque Pöëta Elegiacus, in Pruſſia Sarmatica loco equeſtri eſt ortus, inque Vrbe Elbinga, ſtudiorum laude tunc celeberrima, educatus. GVLIELMO GNAPHEO uſus eſt praeceptore: docto et gnavo homine, erudiendisque ingeniis, atque expoliendis genito. Eoque ductore, inauguratum illa tempeſtate Varmiae Pontificem, Prutenicarumque Terrarum Praeſidem IOANNEM DE CVRIIS DANTISCVM: ingenii atque doctrinae praeſtantia, Pieriaque arte, politiore orbe inclytiſſimum: Elegis cultis ſalutavit. Quibus Antiſtes animo gratiſſimo acceptis, longo CARMINE PARÆNETICO, ad KNOBELSDORFIVM illum: ALLIOPAGVM vocabulo Latino a ſe appellitatum: iisdem modis atque numeris perſcripto, reſpondit. Praeſuliſque huiusce, atque TIDEMANNI GISII, Epiſcopi Culmenſis doctiſſimi, impenſa haud modica, externarum Gentium, elegantioribus litteris ingenuisque artibus maxime excultarum, Academias petiit. Biennium Lovanii, trienniumque totum Lutetiae Pariſiorum commoratus: diſciplinas ſeveriores ita coluit, ut a perſequendis ſtudiis humanitatis, legendisque atque ſcribendis carminibus haud vacaret. Redonatus patriis penatibus, a DANTISCO Pontifice et

Maecenate suo, caritate atque honore, ut filius, est habitus: Cathedralisque Canonicus Varmiensis creatus. Inque KNOBELSDORFII sinu complexuque, DANTISCVS, ipso die Divorum Apostolorum SIMONIS et IVDÆ, anno Salutis renovatae MDXLVIII, animam suam Deo reddidit. A litterato fure surrepta nobis est: AD AMPLISSIMVM PRINCIPEMQVE VIRVM, D. IOANNEM DANTISCVM, VARMIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPVM, LOVANII DESCRIPTIO. Elegiaco carmine. Autore EVSTATHIO A KNOBELSDORF PRVTENO. LOVANII IMPRESSA APVD BARTHOLOMÆVM GRAVIVM. ANNO MDXLII. 8. Ablatumque: REVERENDISSIMI PRINCIPIS ET ANTISTITIS ECCLESIÆ VARMIENSIS, DOMINI IOANNIS DANTISCI, EPICEDIVM. Elegis compositum. AVTORE EVSTATHIO A KNOBELSDORF, ECCLESIÆ ILLIVS CANONICO. EXCVSVM GEDANI PER FRANCISCVM RHODVM. ANNO DOMINI MDXLVIII exeunte, forma 4. Adsunt adhuc in ZALVSCIANA Bibliotheca publica:

1.) AD OPTIMVM PRINCIPEM, TIDEMANNVM GISIVM, EPISCOPVM CVLMENSEM, LVTETIÆ PARISIORVM DESCRIPTIO. Elegiaco carmine. AVTORE EVSTATHIO A KNOBELSDORF PRVTENO. LVTETIÆ, ANNO MDXLIII, characteribus CHRISTIANI WECHELI, forma 8, pulchrè perquam expressa. RIDOLPHIque BOTEREI LVTETIÆ: quae in illa ipsa Vrbe

Vrbe, anno MDCXI, è Typographia PETRI CHEVALIER, forma 8 maiori prodiit: adiuncta.

II.) DIVI POLONIÆ REGIS, SIGISMVNDI PRIMI, EPICEDIVM. Elegis concinnatum. AVTORE EVSTATHIO A KNOBELSDORF, CANONICO VARMIENSI. CRACOVIÆ APVD VIDVAM HIERONYMI VIETORIS. ANNO MDXLVIII. forma 4, editum. Elegisque tenellis, à GEORGIO SABINO, Poëta illuſtri ſuſceptum.

III.) ECCLESIA CATHOLICA AFFLICTA, SIGISMVNDO SECVNDO AVGVSTO, REGI POLONIÆ. CARMEN MIRE ERVDITVM: IDQVE ELEGANTISSIMVM. Elegis confectum. AVTORE EVSTATHIO A KNOBELSDORF, CVSTODE ET CANONICO VARMIENSI. ANNO DOMINI M. D. LVII. forma 4 publicatum, una cum MARTINI CROMERI, Cracovienſis tunc atque Varmienſis Canonici, eloquentiſſima EPISTOLA, AD REGEM, PROCERES, EQVITESQVE POLONOS, IN COMITIIS VARSAVIENSIBVS CONGREGATOS, SCRIPTA.

DANTISCO mortuo: TIDEMANNVS GISIVS e Culmenſi Epiſcopatu, ad Varmienſem traductus, auctoritate ſua mox effecit, ut KNOBELSDORFIVS, a Canonicis reliquis, Cathedralis Eccleſiae Cuſtos eligeretur. Tantique eum hic aeſtimavit Epiſcopus, ut ſine eius conſilio nihil gereret. Brevi autem et ipſo exſtincto: Pontifex novus, STANISLAVS HOSIVS, ſanctitatis atque eruditionis, ſapientiaeque opinione, omnium

celebratiſſimus, KNOBELSDORFIVM eadem animi fiducia eſt proſecutus. Abſensque à Varmia, in adminiſtranda Eccleſia ſua, Provinciaque tota, eius potiſſimum uſus eſt vigilantia prudentiaque, atque fidelitate. Impetrato demum Vratiſlavienſis Decani Cathedralis honore, KNOBELSDORFIVS Vratiſlaviam ſeſe contulit. Ubi a Principe atque Epiſcopo humaniſſimo et ſagaciſſimo, CASPARE LOGAVIO retentus, Vicariusque Generalis conſtitutus: a Sileſiaeque Ordinibus valde amatus, et ad publica admotus negotia graviſſima: diem obiit ſupremum, anno CHRISTI Servatoris MDLXXI, ſuae autem aetatis LII nondum exacto. Conſuetudinem cum muſis, in Sileſia haud intermiſit. Namque Vratiſlaviae, AVGVSTISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS, FERDINANDI PRIMI, EPICEDIVM Elegis contexuit. Ibidemque Elegiacum carmen, DE BELLO TVRCICO fecit. Neutrum tamen a ZALVSCIANÆ Bibliothecae conditore potuit explorari.

LIX.

CHRISTOPHORVS KOBILIENSKI, Eques Polonus e Siradiae Palatinatu, Latini ſermonis facundia, carminisque elegantia, Sarmaticarum Muſarum Maecenati ſummo, IOANNI Comiti TARNOVIO, Cracovienſium Caſtellano, Regnique copiarum Impera-

Imperatori, magnopere commendatus fuit. Amicoque ſingulari uſus eſt, Poëtarum aetate ſua clariſſimo, ANDREA TRICESIO. Vicinum autem proximum, familiariſſimumque, MARTINVM BIELSCIVM, vernaculo Patriae CHRONICO percelebrem, habuit. Exſtat in ZALVSCIANA Bibliotheca: CHRISTOPHORI KOBILIENSKI, EQVITIS POLONI, VARIORVM EPIGRAMMATVM LIBELLVS. Cui heroico carmine attextus eſt: METAMORPHOSEOS PVELLAE ET PARVULI LIBER VNVS. EODEM AVTORE. CRACOVIÆ, LAZARVS ANDREÆ EXCVDEBAT. ANNO DOMINI MDLVIII. 4.

LX.

IOANNES DE KOMOROWO, claro KOMOROWSCIORVM ſanguine genitus, ſacrarumque litterarum ſtudiis et diſciplina, ut temporibus illis, perfecte eruditus, Fratrum Minorum Obſervantium Ordini, pia doctrina et docta pietate inſigni, magnum decus atque ornamentum addidit. Obitis minoribus praefecturis, Cracovienſe Coenobium, Poloniae totius numeroſiſſimum, rexit. Perſpectaque eius, atque explorata prudentia, ac probitate, a generali huiusce Ordinis Miniſtro, univerſae Provinciae Polonicae praepoſitus eſt. Familiariſſimus fuit, LADISLAO de GIELNOW, atque LVCÆ de RYDZINA, inſtituti eiusdem ſacerdotibus, doctrinae ac ſan-

ctimoniae opinione, aetate illa, celeberrimis. Habet ZALVSCIANA Bibliotheca, huius IOANNIS de COMOROWO INTRODUCTIONEM IN DOCTRINAM DOCTORIS SUBTILISSIMI. Modos diſtinctionum et idemtitatum: alios quoque terminos obſcuriores eiusdem doctrine declarantem. Antiquiorum Scotiſantium dicta ſaluantem. Rationibus quorundam Recentiorum quibus impugnantur ſolutis. CRACOUIE in lucem emiſſam. Ex officina impreſſoria ſpectabilis viri Domini IOHANNIS HALLER ciuis et conſulis Cracouien. Anno ſalutigere incarnationis M CCCCC. VIII. die XVII menſis Decembris. Ibidemque, tacito auctoris nomine, iterum editam. In edibus prouidi viri FLORIANI UNGLERII. Quinto Kalendas Iulias. Labente curriculo Uirginei partus Milleſimo quingenteſimo duodecimo. forma 4. Aſſervat eadem Bibliotheca, inter libros calamo exaratos TRACTATVM CRONICE FRATRUM MINORUM OBSERUANCIE. A tempore Conſtanciensis Concilii et ſpecialiter de Prouincia Polonie. Per fratrem IOHANNEM de COMOROWO eiusdem Ordinis minimum collectum. SERMONESque DE REGULA ET CONDICIONIBUS ORDINIS MINORUM. Per fratrem IOHANNEM de COMOROWO eiusdem Ordinis minimum. Ad reuerendum patrem fratrem LUCAM de RYDZYNA Ordinis minorum obſeruancie vicarium Prouincie Polonie. Uterque codex, ipſius auctoris manu, forma 4, eleganter admodum eſt conſcriptus.

LXI.

LXI.

Ioannes LANGVS, politiſſimis et doctiſſimis ſuae aetatis hominibus, ſummo iure annumerandus. Freiſtadii, Sileſiae ſuperioris oppido, natus eſt. Eas litteras, quibus pueri impertiri debent, in ludo litterario Niſſenſi didicit. Graviores autem artes diſciplinasque in Cracovienſi Academia perſecutus eſt. Ibi enim GEORGIVM LIBANVM Graecarum litterarum doctorem, RVDOLPHVMque AGRICOLAM praeceptorem rhetoricae, et PAVLVM CROSNENSEM poëticae magiſtrum, frequenter audivit. Deditque MICHAELI VRATISLAVIENSI, theologiae atque philoſophiae profeſſori, egregiam operam. PHILIPPO autem GVNDELIO, iuris prudentiam docenti, ita totum ſeſe addixit, ut abeuntem eum Viennam ſit ſecutus. Perductus inde in Hungariam eſt. Ac Budae, auguſtiſſimo Regum domicilio, docendis atque erudiendis regiis pueris ſymphoniacis praefectus. Reverſo in Sileſiam, Aurimontanae primo, ac deinde Niſſenſis Scholae regimen fuit commiſſum. Poſtea, a Svidnicenſi Civitate, Syndici munus ei delatum. Tum autem Epiſcopo Vratiſlavienſi, IACOBO A SALZA, exquiſita doctrina, comtaque facundia praedito, viſus eſt maxime idoneus, quo, in conficiendis epiſtolis Latinis uteretur. Ab

eius ſucceſſore, BALTHASARE A PROMNITZ, fama prudentiae iuſtitiaeque florentiſſimo, creatus eſt Cancellarius, et Legati iure ac nomine, ad FERDINANDVM, Romanorum Regem miſſus: cui LANGVS ille, in proponendis atque explicandis magnis arduisque negotiis, praeſentia et firmitate animi, ingeniique vi, ſermonisque et facilitate, et elegantia, civilium quoque omnium rerum peritia, conciliatus adeo, atque probatus eſt; ut a Rege ipſo, teſtandae erga eum benevolentiae gratia, et iurium faſcibus perſollemni ritu exornaretur, et Vratiſlavienſis Praeſulis conceſſione, in Conſiliariorum ſuorum, perpetuorumque Oratorum numero collocaretur. Ampliſſimis ſubinde, ſplendidiſſimisque legationibus, ab eodem Rege, eſt admotus. Collegaque SIGISMVNDO HERBERSTEINIO datus, primogenitae FERDINANDI Regis filiae, ELISABETHÆ, Regi Polonorum Iuniori, SIGISMVNDO AVGVSTO nuptae, dotalem pecuniam, centum millia aureorum Pannonicorum, Cracoviam attulit. Exſtinctaque hac ELISABETHA: mortuaque altera SIGISMVNDI AVGVSTI uxore, BARBARA RADIVILIA: deſponſatam ipſi CATHARINAM, FERDINANDI eiusdem Regis filiam, in Poloniam comitatus eſt. Illiusque nomine, ſalutantibus eam

Re-

Regni Pontificibus, Cracovienſisque Academiae Magiſtris, ingenti atque admirabili omnium applauſu, reſpondit. Idemque LANGVS iam antea, FERDINANDI Regis ſui iuſſu, in Petricovienſi Conventu, Senatorum atque Nobilium frequentia celeberrimo, SIGISMVNDOS utrosque, Poloniae Reges: huiusque Regni Ordines: ad bellum, contra Turcam, una cum Rege Romanorum ineundum, cohortatus eſt copioſa et vehementi oratione; quae attentiſſime a Polonis fuit audita, atque ab univerſis approbata, effectu autem omni caruit. Poloniam hicce LANGVS, ut patriam ipſam, adamavit atque percoluit. Et SIGISMVNDO Seniori Regi, et eius filio ſucceſſorique, SIGISMVNDO AVGVSTO, mirifice carus exſtitit. Grandiaque dona ab utroque tulit. Habuitque nobiliores omnes indigenas, multosque principes viros, ſibi amiciſſimos, ſtudiorumque atque officiorum ſocietate, maxime devinctos. Laetatus quidem potiſſimum eſt, quotidiana ferme conſuetudine, intimaque familiaritate SAMVELIS MACIEIOVII, Epiſcopi Cracovienſis, ſimulque Regni Cancellarii: magni hominis, et ſapientis, et inprimis eruditi, ingeniorumque ſummi atque acerrimi exiſtimatoris. Ductusque ab ipſo, in Academicum illud Collegium: ubi tunc artes elegantes et ingenuae, maximo auditorum ado-

adolescentium concursu tradebantur: a PETRO ILLICINO, clarissimo professore, Graeca oratione, de industria composita, exceptus est. Cui a LANGO, eadem lingua, ex tempore, non modo promte, sed etiam adornate, et copiose fuit responsum. In domo ipsius Praesulis crebra et magnopere iucunda ei conversatio contigit, cum Cathedrali Premisliensium Decano, STANISLAO ORICHOVIO, maximis ingenii, atque doctrinae, eloquentiaeque ornamentis conspicuo: a quo, in PANEGYRICO NVPTIARVM SIGISMVNDI AVGVSTI POLONIÆ REGIS, de nostro illo LANGO mentio est illustris facta. Cognovit et, apud gravissimum istum Pontificem et Maecenatem, SIGISMVNDI AVGVSTI Iunioris Regis scribam, ANDREAM FRICIUM MODREVIVM: liberali eruditione, stylique nitore, et dicendi copia, eo tempore, nulli secundum. Eundemque, in publicatis suis carminibus, eximie laudavit. Instituit etiam ibidem, cum PETRO ROYZIO Hispano: publico tunc, in Academia Cracoviensi, iuris civilis interprete: docto sane, et acuto, et festivo homine, inque fingendis poëmatibus promto, amicitiam. Cui, domi suae, propria sua poëmata recitare fuit solitus. IOANNEM ANTONINVM Hungarum, Medicum SIGISMVNDI Senioris Regis, et Poëtam non incelebrem, a condiscipulatu

pulatu

pulatu dilexit ardentiſſime. Eiusque uſus eſt hoſpitio atque convictu, quotiescunque Cracoviam privatus acceſſit. Parique fere et caritate, et animi confiſione vixit, cum primario Cracovienſis Civitatis Phyſico, ANSELMO EPHORINO Sileſio, melioribus omnibus ſtudiis praecellentiſſimo. Nec minor ipſi neceſſitudo interceſſit, cum IOANNE CERASINO, Cracovienſium Praetore, doctrinae atque gravitatis, iuſtitiaeque fama, per omnem tunc Poloniam celebrato. WOLFGANGVM autem DROSCHIVM, indidem Sileſium, litteris humanioribus haud leviter tinctum: ut florente aetate mire ſibi addictum atque deditum: ita extremis annis inimicum et inviſum eſt expertus. Alterque alterum inſectatus eſt probroſis carminibus. A LANGO noſtro, ſub SIGISMVNDO Seniore Rege, apud Polonos, pulchra haec poëmata ſunt factitata, et in medium prolata:

1.) AD CHRISTVM IESVM, DEI FILIVM, DOMINVM ET SERVATOREM NOSTRVM, PRO PLVVIA. ORATIO.

AD EVNDEM, PRO TVTELA ET DEFENSIONE CHRISTIANITATIS CONTRA TVRCAS. ORATIO.

AD CHRISTIANOS, VT SINT CONCORDES, PSALMVS DAVIDIS CXXXII. *ECCE QVAM BONVM.*

AD

AD MENTEM BONAM ET CONCORDIAM, PRO PRINCIPIBVS CHRISTIANIS. VOTVM. IOANNES LANGVS. S. LL. DOCTOR FACIEBAT.

CRACOVIÆ, IN OFFICINA HIERONYMI VIETORIS. A. D. MDXL. 4. Iſta omnia, Elegiaco carminis genere, ſunt confecta. Praemiſſumque eſt, AD ANSELMVM EPHORINVM MEDICVM, AMICVM CHARISS. ELEGIDION.

II.) DE CHRISTO PATIENTE, ELEGIA. IOANNIS LANGI SILESII. CRACOVIÆ. APVD HIERONYMVM VIETOREM. ANNO SALVTIS HVMANÆ MDXLI. 8.

III.) IN SEPVLTVRAM DOMINI, ELEGIA. IOANNIS LANGI SILESII. CRACOVIÆ. EX OFFICINA HIERONYMI VIETORIS. ANNO SAL. MDXLII. 8.

IV.) IN NVPTIAS SERENISSIMI REGIS POLONIÆ, SIGISMVNDI AVGVSTI, ATQVE SERENISSIMÆ VIRGINIS ELISABETHÆ, FERDINANDI ROMANORVM REGIS FILIÆ. Elegiacum CARMEN IOANNIS LANGI SILESII. IMPRESSVM CRACOVIÆ IN ÆDIBVS HIERONYMI VIETORIS. MENSE MAIO ANNI SALVTIFERI MDXLIII. 4.

V.) DE BELLO TVRCÆ DECERNENDO, IOANNIS LANGI SISESII, AD EQVITES POLONOS, ELEGIA. CRACOVIÆ HIERONYMVS VIETOR MENSE AVGVSTO ANNI MDXLIII IMPRIMEBAT. 4.

VI.) IOANNIS LANGI SILESII, DE VIRGINE DEIPARA, ELEGIÆ XV. CRACOVIÆ EX OFFICINA TYPOGRAPHICA HIERONYMI VIETORIS. KALENDIS OCTOB. ANNO A PARTV VIRGINEO MDXLIIII. 8.

VII.) IN DIVAM PRINCIPEM, ELISABETHAM, POLONIÆ REGINAM, EPICEDIVM Elegis contextum. IOANNE LANGO SILESIO AVTORE. CRACOVIÆ APVD HIERONYMVM VIETOREM. TRIGESIMO DIE MENSIS IVLII. ANNO CHRISTI NATI M. D. XLV. 4.

VIII.) AD NOVVM REGIÆ VRBIS CRACOVIÆ ANTISTITEM, INCLYTIQVE REGNI POLONIÆ CANCELLARIVM, SAMVELEM MACIEIOVIVM, IOANNIS LANGI SILESII GRATVLATORIVM CARMEN, hexametris verſibus compoſitum. IMPRESSVM CRACOVIÆ, IN OFFICINA CHALCOGRAPHICA HIERONYMI VIETORIS. PRIDIE NONAS NOVEMB. AN. CHR. M. D. XLV. 4.

IX.) IOANNIS LANGI SILESII, DE SEIPSO, AD IOANNEM ANTONINVM SVVM, ELEGIA. CRACOVIÆ EXCVSA TYPIS HIERONYMI SCHARFFENBERGI. ANNO DOMINI M. D. XLVI. KALENDIS IANVARII. 8.

SIGISMVNDO autem AVGVSTO regnante, a LANGO illo, in Polonia, confecta ſunt, atque publicata:

X.) IN OBITVM DIVI SIGISMVNDI PRIMI, POLONORVM REGIS, ATQVE LITHVANORVM DVCIS: AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM FILIVM

FILIVM, GENTIS VTRIVSQVE REGEM AC DVCEM: IOANNIS LANGI SILESII ELEGIA. CRACOVIÆ, EXCVDEBAT HIERONYMVS SCHARFFENBERG. IN VIGILIA DIVI IACOBI APOSTOLI. ANNO A CHRISTO NATO. MDXLVIII. 4.

XI.) IN SAMVELIS MACIEIOVII, EPISCOPI CRACOVIENSIS, OBITVM: IOANNIS LANGI IVRISCONSVLTI EPIGRAMMATA GRÆCE ET LATINE, una cum PETRI ROYSII NÆNIA, in funere eiusdem Praesulis, CRACOVIÆ, PER LAZARVM ANDREÆ, ANNO MDL, MENSE NOVEMBRI, forma 4, foras data.

XII.) IN NVPTIAS SERENISSIMI SIGISMVNDI AVGVSTI, POLONORVM REGIS: SERENISSIMÆQVE CATHARINÆ ROMANORVM REGIS, FERDINANDI, ALTERIVS FILIÆ: IOANNIS LANGI SILESII ELEGIA. CRACOVIÆ LAZARVS ANDREÆ EXCVDEBAT. ANNO MDLIII. XIV. KAL. AVGVSTI. forma 4.

XIII.) IOANNES BAPTISTA DECOLLATVS. HEROICVM CARMEN ELEGANTISSIMVM: AVTORE IOANNE LANGO SILESIO, SACRATISSIMI ROMANORVM REGIS CONSILIARIO.

Meretrix suadet
Puella saltat:
Rex iubet,
Sanctus decollatur.

ECCLESIA.

CRACO-

CRACOVIÆ, EX OFFICINA LAZARI, ANNO DOMINI MDLIIII. 4.

PRÆFATIO, AD IOANNEM ANTONINVM, REGIVM MEDICVM CRACOVIENSEM, Elegis tenellis eſt contexta.

Recuſum eſt id opuſculum, una cum DIVI GREGORII NAZIANZENI GRÆCIS QVIBVSDAM ET SANCTIS CARMINIBVS. Quae, IOANNE LANGO Sileſio interprete: adjectis aliquot propriis eius Poëmatibus Chriſtianis: Baſileae, ex officina IOANNIS OPORINI, Anno Salutis MDLXI, Menſe Ianuario, forma 8 prodierunt.

XIV.) IOANNIS LANGI SILESII HENDECASYLLABORVM, IN VOLFIVM DROSCIVM, LIBER SINGVLARIS. forma 8. Deſunt loci ac temporis notae. Typi, quibus libellus nitidè admodum eſt exſcriptus, LAZARINIS ſunt perſimiles.

LANGI huiusce: DE VITA BEATA CHRISTIANORVM, AD IOANNEM CERASINVM, PRÆTOREM CRACOVIENSEM, HENDECASYLLABI: inter ipſius POEMATA CHRISTIANA, DIVI GREGORII NAZIANZENI CARMINIBVS appoſita, locum extremum occupant.

Idem LANGVS, iočulariter aliquando à CERASINO rogatus: „quî fieret, ut nullis in terris „Iuris Magdeburgenſis uſus eſſet, niſi in quibus „biberetur cerevиſia? reſponſum dedit lepidis Elegis. Quos CERASINVS edito à ſe ENCHIRIDIO LOCORVM COMMVNIVM IVRIS MAGDEBVRGENSIS, ſubjunxit.

LXII.

IOANNES LEOPOLIENSIS. Huius patria, nobiliſſima atque potentiſſima Roxolaniae civitas, Leopolis fuit. Ab eaque, cogno-

cognomen illud ipſe ſibi aſſumſit. Theologiae doctoris iura et inſignia, ab Academia Cracovienſi, accepit. Ibique, et humaniores, et ſacras litteras, profeſſus eſt publice: donec in Cathedrali Templo concionator ordinarius fuerit conſtitutus: Collegiataeque Eccleſiae, Divo FLORIANO dicatae, Canonicus renunciatus. Audiebatur libentiſſime a PETRO TOMICIO, aeterni nominis Praeſule. Qui etiam demortuum huncce IOANNEM lacrymis diu proſecutus eſt. Poſt eius obitum, conſcripta quondam ab ipſo, atque ex ſuggeſtu recitata, VIVIFICÆ PASSIONIS CHRISTI HISTORICA EXPLANATIO: CVM DOCTISSIMA APPLICATIONE AD SACRIFICIVM VTRIVSQVE TESTAMENTI. EFFLAGITANTIBVS, IMO VRGENTIBVS MVLTIS. Edita eſt CRACOVIÆ, IN OFFICINA VNGLERIANA, ANNO DOMINI MDXXXVII, forma 8 maiori: annoque inſequente, emendatius recuſa.

LXIII.

IOANNES LEOPOLITA, a patria ſua, ſic appellatus, Cracovienſi in Academia, artium Magiſtri honore conſpicuus, circa annum MDLXI, verſabatur. Pollebat maxime vernaculi ſermonis copia atque elegantia. Operaque eius potiſſime utebatur Typographus Cracovienſis NICOLAVS SCHARF-

FEN-

FENBERGER, in edendis ac corrigendis BIBLIIS POLONICIS.

LXIV.

STANISLAVS LEOPOLITANVS. Is quoque Leopoli generatus, primus omnium ab ea Vrbe voluit cognominari. Sacros canones in Academia Cracouienſi interpretatus eſt. Diſcipulum habuit, officiique ſui ſucceſſorem, GREGORIVM SAMOTVLIVM, ſcriptis editis, inter eruditos homines, cognitum. Cum PETRO TOMICIO, Cracouienſi tunc Archidiacono, Sandomirienſique Cuſtode, valde familiariter vixit. Cuius, et auctoritate, et gratia adiutus: Regulas tredecim de morum et vite Clericorum reformatione: iuxta doctrinam Epiſtole prime a diuo Paulo apoſtolorum ſapientiſſimo ad Timotheum diuinitus perſcripte: cuilibet Clerico non inutiles in ſuo ſtatu recte et ſalubriter conuerſari volenti. Vienne Auſtrie apud Hieronymum Vietorem et Ioannem Singrenium. Anno 1512, forma 4, publicam in lucem emiſit.

LXV.

GEORGIVS LIBANVS Lignicen. Sileſius. Eſt hic ille LIBANVS, qui, primus omnium, Cracoviae Graecae linguae ſtudium publice eſt profeſſus. Matura iam aetate, Coloniae Agrippinae, quae tum,

omnibus diſciplinis, artibusque florebat, praeceptore fuerat uſus VENCESLAO ANTHRACIO, Graece et Hebraice ſcientiſſimo. Quem paſſim, in opuſculis ſuis, amoris venerationisque gratia nominavit. Cracoviam advenienti, ſtatim ab huius urbis Senatu, Gymnaſii, quod ille ad Ædem Divae MARIÆ Virginis excitaverat, cura delegata eſt. Quo ipſo in gerendo munere, magnam eruditionis, integritatisque, et induſtriae laudem ſibi comparavit. Nactusque eſt benigniſſimum patronum, et liberaliſſimum, IOANNEM BONERVM, Regiarum Cracovienſium Salinarum Praefectum. Atque a fratris eius filio, FRANCISCO, Conſulari viro, doctrina aeque et doctorum hominum caritate, ac prudentia et fortuna praepollente, in intimam amicitiam, vitaeque ſocietatem eſt acceptus. Cuius bibliotheca, auctoribus utriusque linguae lectiſſimis inſtructa, immenſam ei voluptatem atque utilitatem attulit. Pervenit etiam in STANISLAI HOSII, Vielunenſis temporibus illis Praepoſiti, Viſlicienſisque Canonici, incredibili et virtute et ſuavitate praediti, Graecarumque litterarum induſtria ſua propria atque uſu periti, et elegantioris omnis doctrinae ſtudiis, optime inſtituti atque imbuti familiaritatem. Qui ipſi aditum, ad PETRVM TOMICIVM, clariſſimum illum, et maximum Cracovienſium Epiſcopum, Regnique Cancella-

cellarium, patefecit. A quo, magno iuventutis ſtudioſae plauſu et approbatione, in Academiam eſt traductus: et publico ſtipendio, Latinae eloquentiae poëticaeque profeſſor, et ſimul Graecus grammaticus conſtitutus: ſacerdotiisque haud tenuibus impertitus. Diſcipulos habuit, IOANNEM LANGVM, doctiſſimum GREGORII NAZIANZENI Theologi, IVSTINIque Philoſophi atque Martyris, et NICEPHORI CALLISTI Hiſtorici, interpretem: IOSEPHVMque STRVTHIVM, et cognominem ei TECTANDRVM, Medicum utrumque, verſionibus GALENI notiſſimum. Ab Academicis Collegis ſuis, Graecae litteraturae oſoribus, variis contumeliis probrisque laceratus, atque vexatus eſt. Cum Cathedrali autem Eccleſiaſte IOANNE LEOPOLIENSI, primarioque Vrbano Concionatore MARTINO DOBRGOST, STANISLAO quoque AICHLERO Cracovienſis Senatus Secretario, et ANSELMO EPHORINO Civitatis eiusdem praecipuo Medico, ſumma ei arctiſſimaque neceſſitudo fuit. Patrisque loco, et amatus eſt, et obſervatus, a MATTHÆO HOLNSTEINIO, cognominati a Diva Virgine Gymnaſii Hypodidaſcalo, docendae iuventutis maxime perito. Scripti a LIBANO, editique libri hi, in publica bibliotheca ZALVSCIANA reperiuntur:

I.) PLUTARCHI CHERONEI DE LIBERIS EDUCANDIS LIBELLUS: LATINE REDDITUS PER GUARINUM VERONEN. Cum M. GEORGII LEGNICEN. Ad Spectatiſſimos Et Prudentiſſimos Viros, Conſules Et Senatores Inclyte Ciuitatis Cracouie, Praefatione. IMPRESSUM APUD FLORIANUM VNGLERIUM. EXPENSIS DOMINI IOANNIS HALLER CIUIS ET CONSULIS CRACOUIEN. ANNO A CHRISTO NATO MDXIIII. DIE XI SEPTEMBRIS. 8.

II.) PHILIPPI CALLIMACHI FLORENTINI POETAE LAVREATI, CARMEN SAPPHICVM, IN VITAM GLORIOSISSIMI MARTYRIS, SANCTI STANISLAI EPISCOPI CRACOVIENSIS, POLONORVM GENTIS PATRONI. REVEREN. PATRI SBIGNEO OLIM EPI. CRA. DICATVM. GEORGIVS LEGNICENSIS, liberalium ſtudiorum magiſter, ſcholarum divae virginis MARIAE Cracoviae moderator, litterariae pubi legendum obtulit. Suamque precationem, ad eundem patronum, verſibus iambicis expreſſam, ſubiunxit. APVD DOMINVM IOANNEM HALLER. Sine temporis nota. forma 4 maiori.

III.) CEBETIS THEBANI, PHILOSOPHI EXCELLENTISSIMI TABVLA, IN QVA BREVITER TOTIVS VITAE HVMANAE RATIO, HOC EST INGRESSVS, MEDIVM, ET EXITVS, NEC NON ALIA QVAEDAM HAVD MINVS IVCVNDA, LVCVLENTER, VT PICTVRA INDICAT, DESCRIBVNTVR. E GRAECO IN LATINVM CONVERSA PER LVDOVICVM ODAXIVM PATAVINVM. Cum GEORGII LEGNICENSIS, liberalium ſtudiorum magiſtri, ſcholarum divae virginis MARIAE Craco-

viae

viae moderatoris, ad pubem litterariam, Praefatione. GRACCOVIAE APVD FLORIANVM. ANNO A RESTITVTA SALVTE. M. D. XXII. 4.

IV.) CARMINA SIBYLLAE ERYTHRAEAE: IN QVIBVS RESVRRECTIO CORPORVM, MVTATIO SAECVLORVM, DEI ADVENTVS AD IVDICIVM, PRAEMIA ET SVPPLICIA HOMINVM DESCRIBVNTVR: IN LINGVAM LATINAM AD VERBVM TRANSLATA. SCHOLIIS, QVAE AD GRAMMATICAM ATTINENT, ADDITIS. PARACLESIS ITEM AD GRAECARVM LITERARVM STVDIOSOS. CVM SERMONE DE IOCVNDA CHRISTI RESVRRECTIONE. Haec qui coemerint, iuxta Diomedis et Glauci permutationem, χρύσεα χαλκείων ἀνταμείβονται, id eſt, aes auro commutabunt. CRACOVIAE EXCVSVM PER FLORIANVM VNGLERIVM. ANNO A NATALI SALVATORIS NOSTRI. M. D. XXVIII. MENSE DECEMBRI. Rurſusque, ab eódem Typographó, IMPRESSVM MILLESIMO QVINGENTESIMO TRICESIMO QVINTO CHRISTI NATIVITATIS ANNO. MENSIS MAII VLTIMA. Ac denique, APVD VIDVAM FLORIANI: PER GREGORIVM PRZEVORSCEVM, PRAEFECTVM OFFICINAE VNGLERIANAE KALENDIS IVLII. ANNO CHRISTI NATIVITATIS MDXXXXV. novis typis deſcriptum. 8.

ERYTHRAEAE SIBYLLAE, DE CHRISTO VATICINIVM: dedicatum eſt Reuerendiſſimo in Chriſto Patri Domino D. PETRO TOMITIO. Diuina benignitate Inſignis Eccleſiae Cracouien. vere Epiſcopo. Inclyti Regni Poloniae ſummo Cancellario. Liberalium ſtudiorum eiusdem Urbis Maecenati vigilantiſſimo.

PARACLESIS autem, ID EST ADHORTATIO, AD GRAECARVM LITTERARVM STVDIOSOS, HABITA, CVM TABVLAM CEBETIS EIVSDEM NEGOCII STVDIOSIS PVBLICE PRÆLEGERET: inſcripta Ornatiſſimo Viro. STANISLAO HOSIO. Iuris utriusque Doctori. Poetae et Oratori non inculto. Praepoſito Vielunenſi et Canonico Viſlicziensi.

v.) ANTHOLOGIA SANCTORVM PATRVM. Iuſſu Reuerendiſſimi in Chriſto Patris Domini D. PETRI TOMITII, Inſignis Eccleſię Cracouien. Epiſcopi, Inclytique Regni Polonię Summi Cancellarii, et Liberalium Studiorum ejusdem Vrbis Męcenatis, à M. GEORGIO LIBANO Legnicenſi, humaniorum literarum in Archi-Gymnaſio Cracouienſi Doctore, collecta. Anno ab orbe redemto. M.D.XXVIIII. forma 4 maiori. Eximium hoc opus calamo eſt exaratum, nec unquam foras eductum. Praemiſſae, ad TOMICIVM Antiſtitem Epiſtolae verboſiſſimae, ſubſignatus eſt eiusdem anni, dies tertius et vigeſimus Menſis Novembris.

VI.) IN CLARISSIMI POLONIAE PRAESVLIS, MAECENATISQVE, D. PETRI TOMICII, CRACOVIEN. OLIM EPISCOPI, REGNIQVE SVMMI CANCELLARII, DOMINI ET PATRONI SVI CLEMENTISSIMI OBITVM: M. GEORGII LIBANI LEGNICEN. SAPPHICON. Ipſo funeris die, in Æde Divi STANISLAI, adſtante magna Sacerdotum Nobiliumque caterva, decantatum. CRACOVIAE IMPRESSVM IN OFFICINA FLORIANI VNGLERII: MENSE NOVEMBRI ANNI MDXXXV. 4.

VII.) Volumen pertenue, cui titulus: OECONOMICORVM ARISTOTELIS LIBRI, GRAECIS ET

LATINIS

LATINIS ANNOTATIONIBVS SVIS LOCIS ILLVSTRATI. In quibus pia, grauia, et Christiana documenta sunt omnia. Hos aere modico, si coemes et leges, aliis quoque, ut emant et legant, autor eris, et ipse iterum atque iterum emere non gravaberis.

Sub finem haec leguntur:

AD LECTOREM.

Habes, optime lector, ARISTOTELIS OECONOMICORVM libros, quibus adiecimus annotationes, et locos, ex Graecis autoribus, EVRIPIDE, HESIODO et HOMERO, in his libris citatos. Inseruimus praeterea textui literas alphabeti, et easdem, annotationibus praefiximus, ut legenti tibi absque longa inquisitione ad manum forent. Praeterea Philosophiam, esse divinarum humanarumque rerum cognitionem, cum studio bene vivendi coniunctam, si usquam alibi, ex his libellis, saluberrimis documentis plenis, et prope divinis, verum esse facile intelliges. Tuum erit igitur, quicquid est nostrae industriae, boni consulere, et si quicquam ex nostro labore emolumenti ad te redierit, (quod futurum haud dubie confido,) totum velim illud, Clarissimo Viro, Domino FRANCISCO BONERO, Maecenati nostro, acceptum feras, cujus auspiciis liber primus apud nos Graecus in lucem prodiit. Bene Vale, et his interim fruere.

CRACOVIAE PER MATHIAM SCHARFFENBERG. III. DIE MARCII ANNO MDXXXVII. 4.

Exſtant, in fronte huius opuſculi, Epiſtola atque Epigramma: ad Generoſum et Spectabilem Dominum, FRANCISCVM BONERVM, Inſignis Vrbis Cracouienſis Conſularem Virum: prudentem, munificum, literis et eruditione praeſtantem: ſingularem Studioſorum Maecenatem.

VIII.) AD GENEROSVM ET MAGNIFICVM DOMINVM, FRANCISCVM BONERVM, CELEBERRIMAE IN POLONIA VRBIS CRACOVIAE CONSVLAREM VIRVM: VIRTVTIBVS ATQVE STVDIIS OMNIBVS EXCELLENTEM, LITTERATORVMQVE MAECENATEM FERE VNICVM: M. GEORGII LIBANI LEGNICEN. ELEGIACON. ANNO SAL. MDXXXVIII EXORIENTE. IMPRESSVM CRACOVIAE PER MATHIAM SCHARFFENBERG. 4.

IX.) DE ACCENTVVM ECCLESIASTICORVM EXQVISITA RATIONE: Libellus omnibus, ſacris initiatis, Vicariis, et Eccleſiae Miniſtris, non minus utilis, quam neceſſarius. Reuerendiſſimo in Chriſto Patri et Domino, D. PETRO GAMRATO, Dei gratia Epiſcopo Cracovien. ac eiusdem Academiae Cancellario Meritiſſimo, dicatus. Autore M. GEORGIO LIBANO Legnicen. Presbytero. IMPRESSVM CRACOVIAE PER MATHIAM SCHARFFENBERG. IMPENSIS EIVS PROPRIIS. Anno circiter MDXXXIX. 8.

X.) DE MVSICAE LAVDIBVS ORATIO, HABITA CRACOVIAE ANNO M.D.XXVIII. PER M. GEORGIVM LIBANVM LEGNICENSEM, DVM VTRIVSQVE MVSICES ELEMENTA, TYRONIBVS EIVSDEM NEGOTII STVDIOSIS, PRAELEGERET. Cui annexa eſt, quae in ſcalis et muſica tractantur, multo-

multorum vocabulorum graecorum interpretatio, cum octo tonorum proprietatibus, et totidem eorum melodiis, tetraphonis haud inconcinnis. Atque alia nonnulla, quę ſequens oſtendit paginula. His octo tonis, tanquam auctarium, additur Peregrinus, quaſi poſt liminio reuerſus, qui cum caeteris tonis, fratribus ſuis, in priſtinam redit noticiam. M. GEORGIVS ille LIBANVS Legnicenſis ſuis impenſis haud modicis edidit, ad Chriſti gloriam, et ſtudioſorum utilitatem. CRACOVIAE. EXCVSVM PER IOANNEM HAELICZ ANNO DEITATIS INCARNATAE. MDXXXX. 8. Libellus hic, ingenuo adoleſcenti, IOANNI VALLASSIO Cracovienſi, in celebri Academia Lypſenſi, bonis litteris operam navanti, eſt nuncupatus.

XI.) AVGVSTINI DATHI SENENSIS, CLARISSIMI POETAE ET PHILOSOPHI CARMEN, DE OFFICIO CANCELLARIORVM, ET SCRIBARVM, IN QVO PVLCHRA CONTINENTVR DOGMATA, RERVM PVB. NOTARIIS, ET EORVM AMANVENSIBVS, SCITV DIGNISSIMA. Addita M. GEORGII LIBANI Legnicenſis Presbyteri: ad STANISLAVM GLANDINVM I. V. Doctorem, et VALERIANVM PYRNERVM, liberalium ſtudiorum Magiſtrum, viros ſummo ingenio, prudentia, eloquentiaque ornatiſſimos, Inclyti Senatus Cracovienſis Secretarios: Praefatione eruditiſſima. IMPRESSVM CRACOVIAE PER IOANNEM HAELICZ. Omiſſa anni mentione. 4.

XII.) ZENOBII SOPHISTAE, EPITOME PAROEMIARVM, EX TARRHAEO ET DIDYMO COLLECTA. Cum Interpretatione Latina, et Scholiis maximè neceſſariis, Illuſtri et Magnifico

fico Domino, Domino SEVERINO BONERO de Balicze, Caſtellano et Capitaneo Biecen. Zupparioque, et Burggrabio, et Magno Procuratori Cracovien. &c. Bonarum artium, et Litteratorum virorum, Cultori ac Patrono incômparabili dedita, ac dedicata à M. GEORGIO LIBANO Legnicenſi Presbytero. CRACOVIAE MATHIAS. SCHARFFENBERG. EXCVDEBAT. ANNO M. D. XLIII. MENSIS AVGVSTI XXV. 4.

LXVI.

SIMON a LOWICZ. Huic Lovicium, Gneſnenſium Archipraeſulum, Regnique Poloniae Primatum ſedes, patria fuit, et cognomentum dedit. Cracoviam in ſtudia miſſus, potiſſimum ad conterraneum ſuum, CYPRIANVM LOVICIENSEM, inſignem et Philoſophum, et Medicum, ſeſe applicavit. Artiumque Magiſter, et medicinae Doctor creatus eſt. Cum multis ibi Nobilibus atque Optimatibus familiariter vixit: ſed maxime cum IOANNE KOSCIESZA, Canonico Mednicenſi, homine docto et eloquente. Cuius ille commendatione, a Lituaniae Cancellario ALBERTO GASTOLDO, Magnique eiusdem Ducatus Mareſchalco IOANNE ZABRZEZINSCIO, libenter ad ſuorum numerum eſt adſcriptus, frequentibusque et magnis donatus muneribus. Peculiari autem fuit indulgentia dignatus ab ANDREA CRICIO, Gneſnenſi

iam

iam Archiepiſcopo, atque Regni Primate. Ab eoque, in animum, domumque receptus. Quo fatis erepto, a PETRO OPALENSCIO, Gneſnenſium Caſtellano, et SIGISMVNDI AVGVSTI Iunioris Regis Curiae Magiſtro, cuſtos ſalutis aſſumtus eſt. Hisce quidem ſcriptis ſtudioſis medicinalis diſciplinae, temporibus ſuis prodeſſe cupiit:

I.) CENTILOQVIVM DE MEDICIS ET INFIRMIS, DECERPTVM EX PENETRALIBVS ASTROLOGIAE, CVIVIS MEDICO, APPRIME CVM NECESSARIVM, TVM VTILE. Epitome, ſeu canones quidam ſuper aegritudinibus, quibus modis ſuccurrendum aegris ſit, ex aſpectu ſignorum. Naturalis Aſtrologiae compendioſa deſcriptio. ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO, DOMINO ALBERTO GASTOLDO, COMITI DEMVRATA GIERANOYNY, PALATINO VILNEN. ET MAGNI DVCATVS LITHVANIAE SVPREMO CANCELLARIO, ETC. dicatum. EXCVSVM CRACOVIAE PER FLORIANVM VNGLERIVM. ANNO DOMINI 1532. 8.

II.) DE PRAESERVATIONE A PESTILENTIA: ET IPSIVS CVRA, OPVSCVLVM NON MINVS VTILE, QVAM NECESSARIVM. SPECTABILI ET MAGNIFICO DOMINO, DOMINO IOANNI ZABRZEZYNSKY, PALATINO TROCEN. ET MAGNI DVCATVS LITHVANIAE SVPREMO MARSALCO, ETC. inſcriptum. IN REGIA VRBE CRACOVIEN. FLORIANVS VNGLERIVS IMPRESSIT. ANNO DOMINI 1534. 8.

III.) ENCHIRIDION MEDICINAE, PRO TYRVNCVLIS HVIVS ARTIS, QVAM COMPENDIOSISSIME. PER SIMONEM DE LOWICZ, ARTIVM ET MEDICINAE DOCTOREM, COLLECTVM. Remedia ſingulorum morborum, ex optimis et celeberrimis rei medicae autoribus quam compendioſiſſime congeſta, ſecundum ſeriem alphabeti. In calce huius libelli addita eſt, Tabula de Doſibus ſolutivorum, tam ſimplicium, quam compoſitorum, in uſu apud nos exiſtentium. REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO PRINCIPI, ET DOMINO, DOMINO ANDREAE CRICIO, DEI GRATIA SANCTAE GNEZNENSIS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPO, LEGATO NATO, ET PRIMATI REGNI POLONIAE, DOMINO SVO CLEMENTISSIMO, conſecratum. CRACOVIAE IN OFFICINA VNGLERIANA IMPRESSVM. ANNO A CHRISTO NATO 1537. I. DIE MAII. 8.

IV.) AEMILIVS MACER DE HERBARVM VIRTVTIBVS, CVM VERIS FIGVRIS HERBARVM. Gradulationes ſimplicium, cum Nomenclatura et Interpretatione Polonica herbarum et morborum, ſecundum ſeriem Alphabeti. In calce huius operis, addita eſt expoſitio terminorum obſcurorum, contentorum in hoc opere. Per SIMONEM de LOWICZ, artium et medicinae doctorem. CRACOVIAE EX OFFICINA VNGLERIANA. Sine anni indicio. forma 8.

V.) DE CVRA VALETVDINIS EORVM, QVI INCVMBVNT STVDIO LITTERARVM: MARSILII FICINI FLORENTINI LIBER I. Praemiſſa eſt SIMONIS A LOWICZ, ARTIVM INGENVARVM ET MEDICINÆ DOCTORIS, AD REVERENDVM IN

CHRI-

CHRISTO PATREM AC DOMINVM, D. IOANNEM KOSCIESKA, MEDNICENSIS ECCLESIÆ CANONICVM EPISTOLA: Data Cracoviae e Contubernio Hierusalem. VII. Kal. Martias. A. MDXXXVI. EXCVDEBAT FLORIANVS VNGLERIVS. eodem anno. forma 4.

LXVII.

STANISLAVS a LOWICZ. Idem cognomen, a patria eadem, obtinuit. In Cracoviensi Academia, discendi gratia, sectatus in primis est IOANNEM SACRANVM, clarum tunc Rhetorem atque Theologum. Impetrato Magisterii iure potestateque, oratoriam artem, et publice, et privatim docuit. Simulque Hierosolymitani Contubernii praefecturam gessit. Frequentavit eius scholam NICOLAVS VOLSCIVS, qui, postquam ex ephebis excessit, aulam BONÆ Reginae est moderatus, atque illius favore, Sochaczoviensem primo, et deinceps Sandomiriensem Castellaniam consecutus. STANISLAVS noster, aetate aliquantum provecta, Miechoviensium Canonicorum Regularium, qui Sepulcri Domini Custodes appellantur, antiquum, sacrumque et religiosum institutum amplexus est. Exactoque probationis anno, Cracoviae in templo illo inclyto, cui a Diva Virgine MARIA est nomen, a concionibus, de rebus divinis ad populum habendis est con-

conſtitutus: et ſimul Parochus atque Paſtor, Vrocirienſi Eccleſiae datus. Miechoviae eo uſus eſt intime THOMAS ILCVSSIVS, celeberrimi illius Coenobii Praepoſitus, pietate et politiore litteratura haud minus, quam mitra bicorni pedoque conſpicuus. Cracovienſi autem in Vrbe, LEONARDVS ALTIPOLITA, praeclari eiusdem inſtituti Presbyter, idemque et Regius Theologus, et Cathedralis Eccleſiaſtes, noſtro illi STANISLAO, mirabilem in modum praeſto fuit: omniaque ſibi, cum ipſo, voluit eſſe communia. Edita a STANISLAO opuſcula habentur haec:

I.) FRANCISCI PHILELPHI VIRI GRECE ET LATINE ERVDITISSIMI EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBRI XXXVII. Reverendisſimo Patri, Doctiſſimoque Preſuli, et Benigniſſimo Mecenati, D. ERASMO e Gente CIOLLEK, Epiſcopo Plocenſi Dedicati: Per STANISLAVM à LOVICZ Artium Liberalium Magiſtrum. APVD INCLYTAM CRACOVIAM SVMMA INDVSTRIA ET IMPENSA SPECTABILIS VIRI DOMINI IOANNIS HALLER. ANNO A VIRGINEO PARTV M. CCCCC. XII. VII. IDVS IANVARIAS. 4 chartae maximae.

II.) MODVS EPISTOLANDI, EGREGII VIRI, IOANNIS SACRANI, SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS, CANONICI CRACOVIEN. Ejusdemque Epiſtolae Exemplares, In Suum Modum Epiſtolandi: Praemiſſa Magiſtri STANISLAI LOVICZ, Burſae Hieruſalem Senioris, Ad Almae Vniverſitatis

tis Cracovienſis Studentes, Epiſtola. Exſtat ad calcem opuſculi, anonymi cujusdam VITA BEATI IOANNIS CANTII, verſibus hexametris conſcripta. Adjecta altera Epiſtola M. STANISLAI LOVICZ, Ad Almae Vniverſitatis Cracovienſis Pios Lectores. IMPRESSVM CRACOVIAE IN ÆDIBVS DOMIMI IOANNIS HALLER CIVIS CRACOVIEN̄. ANNO IESV CHRISTI NATI. 1520. 4.

III.) M. STANISLAI A LOWICZ, DE ARTE COMPONENDI EPISTOLAS LIBELLVS, EX ILLVSTRIBVS ORATORIBVS BREVITER CONFLATVS. Addito Enchiridio Orthographiae, earum ſaltem dictionum, quae magis in epiſtolas et vſum ſcribendi veniunt: quas promptius, et facilius alibi haud invenire poteris. IMPRESSVM CRACOVIAE APVD FLORIANVM XII. KALEN. NOVEMBRIS. ANNO M. D. XXI. 4. Inſcriptum eſt id opuſculum, THOMÆ OBYDZINSCIO, Primicerio Cathedralis Eccleſiae Plocenſis, viro, ut tùm erant tempora, eruditiſſimo atque eloquentiſſimo.

IV.) IVDICIVM PARIDIS DE POMO AVREO INTER TRES DEAS. PALLADEM. IVNONEM. VENERFM. DE TRIPLICI HOMINVM VITA: CONTEMPLATIVA. ACTIVA. AC VOLVPTARIA. A PHILOMVSO VIRO ELEGANTI IACOBO LOCHER CVLTISSIME FACTVM. Magnifico autem Domino NICOLAO WOLSKI, Caſtellano Sochaczovien̄. Equitique Aurato, ac Magiſtro Curiae Sereniſſimae Dominae BONAE Reginae Poloniae, Dedicatum. Actumque in arce Cracoviana, Menſe Februario, Anno Domini M. D. XXII. Imperante feliciter apud Sarmatas ſereniſſimo Rege SIGISMVNDO: cum ſua conſorte praeclara

BONA, nec non nato illuſtriſſimo Principe SIGISMVNDO Secundo ſemperque Auguſto. Egerunt nobiles ac ingenui iuvenes atque viri, aulae Hieruſalem incolae: ductore M. STANISLAO à LOWICZ. EXCVSVM CRACOVIAE APVD FLORIANVM. 4.

V.) SPECTACVLVM A IACOBO LOCHER MORE TRAGICO EFFIGIATVM. In quo chriſtianiſſimi Reges adverſum truculentiſſimos Turcos conſilium ineunt, expeditionemque bellicam inſtituunt, inibi ſalubris pro fide tuenda exhortatio. Dicatum eſt Reverendiſſimo in Chriſto Patri et Domino, Domino IOANNI de Ducibus Lituaniae, Epiſcopo Vilnenſi: huiusque Excellentiſſimi et Praeſulis et Maecenatis liberalitate, in celebri Cracovienſi Studio repraeſentatum, per ingenuos et litteratos iuvenes, aulae Hieruſalem incolas: moderatore ac duce M. STANISLAO à LOWICZ. IMPRESSVM PER FLORIANVM. NON. APRIL. M. D. XXII. 4.

VI.) STANISLAI A LOWICZ, ARTIVM LIBERALIVM MAGISTRI, ET CANONICI REGVLARIS,

ENCHIRIDION.

CVI INSVNT.

DE GLORIOSAE VIRGINIS MARIAE, DEI GENITRICIS IMMACVLATA CONCEPTIONE, FIDELIS ET CATHOLICA ASSERTIO.

CONCIONES ITEM TRES, DE EADEM CONCEPTIONE AD POPVLVM HABITAE.

IN CALCE ADIECTA SVNT QVAEDAM RELIGIOSORVM (ET QVI MONASTICAM PROFESSI SVNT VITAM) INSTITVTA.

PSALMO

PSALMO CXIII.

NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS, SED NOMINI TVO DA GLORIAM.

CRACOVIAE EX OFFICINA VNGLERIANA, ANNO DOMINI 1538. 8.

Huius opuſculi initio legitur: Epiſtola ad Reverendum in CHRISTO Patrem, Dominum THOMAM à ILKVSZ, artium liberalium Baccalaureum, Diuina prouidentia Miechouienſis Coenobii Praepoſitum: Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Sepulchri Domini Hieroſolymitani, ſub regula Diui AVGVSTINI militantium, per totam Poloniam Praefectum Generalem: Studioſorum omnium Fautorem ſummum: data ex Sacro Miechouienſi Coenobio, die XV. Decembris, Anno reſtitutae Salutis MDXXXVIII. Hoc autem ipſum opuſculum, ob ſingularem raritatem, è publicae bibliothecae ZALVSCIANÆ exemplo, Cracoviae, anno poſt CHRISTVM natum MDCCXLVII, MICHAELIS DYASZEWSCII typis, iterum eſt exſcriptum: variisque acceſſionibus amplificatum, à viro ſanctiſſimo doctiſſimoque, IACOBO PAVLO RADLINSKI, Ordinis Canonicorum Regularium, Cuſtodum S. SEPVLCHRI CHRISTI DOMINI, hac noſtra aetate, Praepoſito Generali infulato.

VII.) DE MARIA VIRGINE DEIPARA, HYMNORVM LIBELLVS. Venerabili et Egregio Viro, Domino LEONARDO ALTIPOLITAE Mazovio, Sacrae Theologiae Doctori: aſſumptoque, è Sacro Ordine Canonicorum Regularium Sancti Sepulchri Domini Hieroſolymitani, Regio Theologo, et Eccleſiaſtae Cathedrali Cracovien̄. Suo Amicorum Optimo oblatus ac dedicatus. Per M. STANIS-

LAVM A LOWICZ, è pio eodem Inſtituto, verbi Dei Concionatorem, ad Ædem Divae MARIAE Virginis Cracoviae. HIERONYMVS VIETOR, REGIAE CANCELLARIAE CHALCOGRAPHVS, IMPRESSIT DIE XIV MENSIS IVNII. ANNO DOMINI M. D. XL. 8.

LXVII.

SIMON MARICIVS. Pilſnae, nobili Poloniae Minoris oppido, natus et in lucem editus eſt. A puero, magnopere liberalibus ſtudiis deditus fuit. Summique viri, PETRI KMITÆ, Cracovienſis Palatini, Regnique Poloniae Mareſchalci, larga impenſa, Patavium eſt profectus. Qua in urbe, diſertiſſimo homini, omnibusque diſciplinis, Graecisque in primis et Latinis litteris inſtructiſſimo, LAZARO BONAMICO excolendum, formandumque, ſe penitus, totumque tradidit. Confeſtim autem, ut ex Italia reverſus eſt, KMITÆ eiusdem Maecenatis ope, publici Rhetoris officium in Academia Cracovienſi obtinuit. Principesque Graeciae atque Latii oratores magna clarorum iuvenum aſſiduitate et frequentia, magnoque ſucceſſu expoſuit. Attentiſſimum quidem, libentiſſimumque ſe ei praebuit auditorem, VALENTINVS HERBVRTVS Dobromilſceus: qui egregiis ingenii atque animi dotibus, Premiſlienſem Epiſcopatum, a SIGISMVNDO AVGVSTO Rege eſt adeptus: illiusque nomine, ſacroſancto Concilio Tridentino, maxima cum

cum pietatis, et ſapientiae, eruditionisque laude interfuit. Isque, quoad vixit, MARICIO eſt familiariſſime uſus. Ipſumque unicum, et in amore, et in ore habere ſolitus eſt. Praeter HERBVRTVM illum, KMITAMque, SAMVEL quoque MACIEIOVIVS, ſapientiſſimus et doctiſſimus Cracovienſium Praeſul, atque Regni Cancellarius, MARICIVM admodum dilexit: multisque praemiis ad inſtituendam iuventutem acuit. Amavitque eum fraterne Decanus Premiſlienſis, STANISLAVS ORICHOVIVS, Polonorum in eloquentia Romana iam illo tempore eminentiſſimus. Vixit cum PETRO ROYZIO, praeclaro Iurisconſulto atque Poëta. Coniunctus etiam conſuetudine, atque omni officiorum genere fuit IACOBO PRILVSIO, faceto homini, et facundo, omnibusque artibus, quae ad humanitatem pertinent, ornato atque referto. Cum IOSEPHO STRVTHIO, Medico praeſtantiſſimo et clariſſimo, amicitiam intimam Patavii iniit, ac deinde in patria renovavit, et ad ſenectutem ſervavit. PETRVM vero ILLICINVM, laudis aemulatione ſibi infenſum, invidumque arbitratus eſt. A MARICIO ipſo, ſub regni SIGISMVNDI PRIMI exitum ſcripta, atque in vulgus edita, iſta ſunt:

1.) DEMOSTHENIS DE PACE ORATIO, Graecè et Latinè. SIMONE MARICIO IN-

 TER

TERPRETE. Qua, adolescens Graecarum litterarum studiosus, cum exemplari Graeco collata, poterit facilius sensa Demosthenica persequi. CRACOVIÆ, APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII, ANNO 1546. 8. Praemissa est elegantissima, ad PETRVM KMITAM, Comitem in Visnicze, Palatinum et Praefectum generalem Cracoviensem, Regnique Poloniae supremum Mareschalcum, Epistola, Cracoviae data X. Kal. Sept. Anno CHRISTI 1546.

II.) DEMOSTHENIS PRO LIBERTATE RHODIORVM ORATIO, Graecè et Latinè, SIMONE MARICIO PILSNENSI INTERPRETE, CRACOVIÆ, MATHIAS SCHARFFENBERGVS, M.D.XLVII. 8. Huic etiam interpretationi, praefixa est elegans et docta, ad PETRVM eundem KMITAM, Epistola, scripta Cracoviae pridie Non. April. A. 1547.

III.) SIMONIS MARICII PILSNENSIS IN MARCI TVLII CICERONIS, PRO PVBLIO QVINTIO ORATIONEM, *ANNOTATIONES*; AD SAMVELEM MACIEIOVIVM, DIVINA PROVIDENTIA CRACOVIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPVM, REGNIQVE POLONIÆ, ATQVE GYMNASII CRACOVIENSIS CANCELLARIVM. CRACOVIÆ, EX OFFICINA TYPOGRAPHICA MATHIÆ SCHARFFENBERGERI, ANNO M.D.XLVII, MENSE NOVEMBRI. 8.

IV.) SIMONIS MARICII PILSNENSIS, IN MARCI TVLLII CICERONIS, AD QVINTVM FRATREM, DIALOGOS III DE ORATORE, *ANNOTATIONES*: AD VALENTINVM HERBVRTVM DOBROMIL-

MILSCEVM, EQVITEM POLONVM. CRACOVIÆ. TYPIS SCHARFFENBERGIANIS. ANNO CHRISTI DOMINI M.D. XLVIII. ID. MAR. 8.

Regnante iam SIGISMVNDO AVGVSTO, MARICIVS novo tunc Vrbis Cracoviae Pontifici atque Academiae Cracovienſis Cancellario, ANDREÆ ZEBRIDOVIO, eloquentia prorſus divina, doctrinaque ſingulari praedito: DE SCHOLIS, SEV ACADEMIIS, LIBROS DVOS: elegantia atque diligentia maxima a ſe compoſitos, veterique omni eruditione repletos: CRACOVIÆ, IN OFFICINA HIERONYMI SCHARFFENBERGI, ANNO SALVTIS MDLI, MENSE APRILI, forma 8 evulgatos, exhibuit. Animum tamen deinceps ab elegantioribus litteris amovit. Totumque ad iuris civilis et pontificii ſtudium appulit. Creatus tum eſt MARICIVS, a novo Antiſtite Culmenſi, IOANNE LVBODZIEYSCIO, Epiſcopalis Curiae ſuae Cancellarius. Virisque doctis atque probis in Pruſſia, opera ſua atque auctoritate, multum profuit.

LXIX.

SEBASTIANVS MARSCHEVIVS. Alumnus ille fuit PETRI GAMRATI, Archiepiſcopi Gneſnenſis, atque Cracovienſis Epiſcopi. Servantur penés nos:

 1.) EPI-

I.) EPITHALAMION, IN NVPTIIS SERENISSIMI PRINCIPIS, DOMINI IOANNIS, REGIS HVNGARIÆ ETC. ET SERENISSIMÆ VIRGINIS, ISABELLÆ, FILII DIVI SIGISMVNDI PRIMI, INVICTI REGIS POLONIÆ. Verſibus heroicis compoſitum. PER SEBASTIANVM MARSCHEVIVM. IMPRESSVM CRACOVIÆ PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO M. D. XXXIX. 4.

II.) DE LVDIS EQVESTRIBVS, QVOS EXHIBVERVNT HVNGARI IN NVPTIIS SERENISSIMÆ VIRGINIS ISABELLÆ ETC. SEBASTIANI MARSCHEVII CARMEN Hexametris factum. Annexi autem ſunt Elegi, DE EQVVLEO SIGISMVNDI SECVNDI REGIS POLONIÆ, VRSOS IN FVGAM VERTENTE. ACTVM V. KALEND. FEBRV. ANNO M. D. XXXIX. IMPPESSVM IN ÆDIBVS HIERONYMI VIETORIS. 4.

III.) IN SERENISSIMI HVNGARIÆ REGIS, IOANNIS PRIMI OBITVM, SEBASTIANI MARSCHEVII CARMEN Elegiacum. CRACOVIÆ HIERONYMVS VIETOR IMPRESSIT. ANNO SAL. M. D. XL. MENSE SEPT. 4.

IV.) AD EQVITES POLONOS, DE BELLO TVRCIS INFERENDO, SEBASTIANI MARSCHEVII CARMEN PARACLETICVM. Elegis ſcriptum. CRACOVIÆ EXCVSVM APVD HIERONYMVM VIETOREM PRIDIE NONAS IVLII. ANNO DOMINI M. D. XLIII. 4.

V.) AMPLISSIMO PRÆSVLI, ET PRINCIPI ILLVSTRI, PETRO GAMRATO, SANCTÆ GNESNENSIS METROPOLITANÆ ECCLESIÆ AR-

CHI-

CHIEPISCOPO, LEGATO NATO, PRIMATI POLONIÆ, ET EPISCOPO CRACOVIENSI. SVPREMO PATRONO SVO, ET OMNIVM STVDIOSORVM MÆCENATI MAXIMO. HVMANIS REBVS, DIE XXVII AVG. AN. MDXLV. EREPTO. EPITAPHIVM Elegis contextum. SEBASTIANO MARSCHEVIO AVTORE. IMPRESSVM CRACOVIÆ IN OFFICINA TYPOGRAPHICA HIERONYMI VIETORIS. QVINTA DIE SEPTEMBRIS. 4.

LXX.

ANT. MELA. De patria eius nihil habemus cognitum, nihil compertum. Posnaniam, ab optimo Antiſtite atque Maecenate, IOANNE LATALSCIO vocatus, poëticam in LVBRANSCIANO Athenaeo eſt profeſſus. Ediditque PVB. OVIDII NASONIS, DE TRISTIBVS LIBROS V. MAGNO STVDIO ET LABORE RECOGNITOS. Laudatiſſimoque Poſnanienſium Epiſcopo, IOANNI LATALSCIO, politis Elegis inſcriptos. CRACOVIÆ. APVD MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO DOMINI MDXXIX. VI KALENDAS AVGVSTI, forma 4 maiori.

AVGVSTINVS ROTVNDVS MIELIESKI, vide ROTVNDVS.

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS, vide FRICIVS.

LXXI.

THOMAS MVRNER Ord. Minorum. Germanus natione, patria Argentoratensis fuit. Venit ille, saeculo XVI exoriente, Cracoviam. Obtentoque sacrarum litterarum Baccalaurei honore, et acceptis in annum XXIV florenis Hungaricis, PETRI HISPANI TEXTVM LOGICVM, insolito auditorum accursu applausuque explicuit. Electo et inaugurato SIGISMVNDO Rege, patriam suam repetiit: prius publicato illo volumine, cuius inscriptio haec est: Uenerabilis patris *Thome Murner* Alemanni. e ciuitate Argentinen. alme uniuersitatis Cracouien. sacre theologie baccalarii. *Chartiludium Logices.* seu Logica poetica uel memoratiua. cum iocundo pictasmatis exercitamento, pro communi omnium Studentum utilitate. impressum *Cracouie* impensis optimi et famatissimi uiri domini *Iohannis Haller* ciuis Cracouien. anno uerbi incarnationis. M. CCCCC. VII. decimo tertio ante Kalendas Martii. forma 4.

LXXII.

FRANCISCVS MYMERVS Leomontanus silesius. Cracoviensi in Academia non tantum Latinis Graecisque litteris, sed etiam sermoni Polonorum, assiduam dedit operam. Amicitia ei iucundissima, officiosissimaque fuit, cum ANSELMO EPHORINO, MATHIAque

que FRANCONIO, atque WOLFGANGO DROSCHIO. Quorum ſtudio atque ſuffragio, a Biecenſium tum Praefecto, Magnoque Cracovienſium Procuratore, SEVERINO BONERO, diti homine, et iis temporibus potente, bonisque viris et eruditis imprimis benigno atque munifico, hoſpitio liberaliſſimo, et intima conſuetudine, et familiaritate, dignus eſt exiſtimatus. Inter reliquos amicos potiſſimum dilexit MARTINVM DOBROGOSTIVM, itemque IOSEPHVM STRVTHIVM, atque IOANNEM BAPTISTAM NOVOSOLIENSEM. Etiam cum GEORGIO TICZINENSI, IOANNEque TVROBINO, et SEVERINO OREANDRO, verſatus eſt libenter et aſſidue. MYMERI quidem opuſcula ſunt haec;

I.) PETRI MOSELLANI PROTEGENSIS *PAEDOLOGIA:* ET CHRISTOPHORI HEGENDORFFINI *DIALOGI PVERILES.* Cum FRANCISCI MYMERI Lewenbergi Praefatione ad Politioris Litteraturae Amatores. CRACOVIAE IMPRESSVM PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO SALVTIS NOSTRAE M. D. XXVIII. KALEND. IVNII. Perque eundem Typographum, ANNO DOMINI M. D. XXXVIII. OCTAVA SEPTEMBRIS. denuo excuſum. 8.

II.) FRANCISCI MYMERI, IN MAGISTRI ANSELMI EPHORINI DISCESSVM, *ELEGIA.* Praemiſſo, ad Clariſſimum Dominum SEVERINVM BONER à Balicze, Capitaneum Biecēn. Burggrabium ac Magnum Procuratorem Cra-

Cracovien̄. Phalaecio Carmine. Sine Typographi, locique, et temporis nota. 4.

III.) DE INVENTORIBVS ASTROLOGIAE, FR. MYMERI *ELEGIA*. Praefixa eſt LVCIANI SAMOSATENSIS ASTROLOGIAE, VNA CVM IOSEPHI STRVTHII POSNANIEN. COMMENTARIIS, CRACOVIAE, PER MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO MDXXXI. forma 8 maiori, typis deſcriptae.

IV.) FRANCISCI MYMERI LEOMONTANI SILESII, IN MISERRIMAM IOANNIS MYMERI, GERMANI FRATRIS VNICI, IN SYLVIS A PRAEDONIBVS CAEDEM, *NAENIA FVNEBRIS* Elegiaco Carmine. Praemiſſa, ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum, D. PETRVM TOMITIVM, Epiſcopum Cracovien̄. Vicecancellarium totius Poloniae, Querela. Carmine Glyconico. EXCVSA CRACOVIÆ PER MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO M. D. XXXII. 4.

V.) REGIMEN SANITATIS MEDICORVM PARISIENSIVM, PRO TVENDA SANITATE REGIS ANGLIAE COMPOSITVM: DOCENS QVOMODO QVILIBET HOMO SE PER SINGVLOS TOTIVS ANNI MENSES, CVM IN ESV ET POTV, TVM IN VENARVM INCISIONE GERERE DEBEAT. Magiſtri FRANCISCI MYMERI Sileſii Rhythmis Germanicis et Polonicis exornatum. Cum eiusdem Gratiarum Actione, ad Clariſſimum Dominum SEVERINVM BONER a Balicze, Capitaneum Biecen̄. Burggrabium ac Magnum Procuratorem Cracovien. pro collata munificentia: Carmine Phalaecio. IMPRESSVM

PRESSVM CRACOVIAE PER MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO 1532. 8.

VI.) IOANNIS SVLPITII VERVLANI, DE MORIBVS PVERORVM CARMEN. Rhythmis Germanicis et Polonicis, nec non Gloſſemate Latino illuſtratum, per FRANCISCVM MYMERVM Sileſium. Cum eiusdem Oda Paraenetica, ad magnae indolis Adoleſcentem, STANISLAVM BONER, filium Clariſſimi Domini SEVERINI BONER à Balicze, Capitanei Biecen̄. &c. IMPRESSVM CRACOVIAE PER MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO DOMINI MILLESIMO QVINGENTESIMO TRIGESIMO TERTIO. 8.

VII.) SEBALDI HEYDEN FORMVLAE PVERILIVM COLLOQVIORVM. Cum FRANCISCI MYMERI Sileſii Decaſticho, ad Peregregium Puerum, et optimarum litterarum virtutumque perſtudioſum, ANDREAM BONER, Generoſi Domini FRANCISCI BONER, Viri Patricii et Conſularis Cracovien̄. filiolum. IMPRESSVM CRACOVIAE PER MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO M. D. XXXV. 8.

VIII.) CATONIS *DISTICHA MORALIA*, ERASMO ROTERODAMO LATINO CASTIGATORE. Noviſſime Polonicis et Germanicis Rhythmis exornata, per FRANCISCVM MYMERVM Sileſium. Cum eiusdem Elegia, ad Praeclarum et Generoſum Dominum, FRANCISCVM BONER, Regiae Vrbis Cracovien̄. Senatorem. CRACOVIAE IMPRESSIT HIERONYMVS VIETOR. ANNO A CHRISTO NATO M. D. XXXV. Idemque Typographus repetiit. ANNO PARTVS VIRGINEI M. D. XXXVIII. 8.

IX.) IN

IX.) IN SALVVM REDITVM DOMINI ANSELMI EPHORINI, MEDICI CRACOVIEN. NOBILISS. *ELEGIA* FRANCISCI MYMERI SILESII. CRACOVIAE HIERONYMVS VIETOR IMPRIMEBAT. AN: MDXXXVIII. 4.

X.) LVCII ANNÆI SENECÆ FORMVLA HONESTÆ VITÆ DE QVATVOR VIRTVTIBVS CARDINALIBVS: IVXTA ERASMI ROTERODAMI CASTIGATIONEM EMENDATA, SCHOLIISQVE MARGINALIBVS ET GLOSSEMATE ILLVSTRATA. Praeter haec accesserunt FRANCISCI MYMERI Siles. Rhythmi Germanica ac Polonica linguis, SENECÆ sensa exprimentes, nunc primum in lucem editi. Cum eiusdem Carmine Asclepiadeo, ad Clarissimum Dominum SEVERINVM BONER à Balicze, Capitaneum Biecen. Burggrabium ac Magnum Procuratorem Cracovien. IMPRESSVM CRACOVIÆ PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO AB ORBE REDEMPTO M. D. XLI. Iterumque editum. APVD VIDVAM HIERONYMI VIETORIS. ANNO DOMINI M. D. XLVII. 8.

XI.) PLVTARCHI CHÆRONEI *DICTERIA LACONICA* GRÆCE EDITA. Cum M. FRANC. MYMERI Siles. Interpretatione Latina et Polonica. Eiusdemque Elegia, ad Illustrem et Magnificum Dominum, SEVERINVM BONER à Balicze, Castellanum et Capitaneum Biecen. Burggrabiumque et Magnum Procuratorem Cracovien. IMPRIMEBAT CRACOVIÆ HIERONYMVS VIETOR. ANNO CHRISTI M. D. XLII. 8.

XII.) NICOLAI PEROTTI EPISCOPI SIPONTINI, DE COMPONENDIS EPISTOLIS LIBELLVS. E Praestantissimo illius opere Grammatico ex-

excerptus. Infertis nonnullis Praeceptis Iuventuti haud inutilibus. Verbisque, et elegantiis, quae olim Italorum idiomate fuerant prolata, Polonice redditis. Per. M. FRANCISCVM MYMERVM Silefium. Praemiffo eius Carmine Elegiaco, ad Dom. MARCVM SCHARFFENBERGER, Infignem Civem ac Bibliopolam Cracovien̄. Avunculum fuum bene meritum. CRACOVIÆ HIERONYMVS VIETOR IMPRESSIT IMPENSIS SVIS PROPRIIS. A. 1544. M. AVG. 8.

LXXIII.

ALBERTVS NOVICAMPIANVS Polonus, Theologus atque Philofophus graviffimus, regni SIGISMVNDI AVGVSTI exordio, Cracovienfi in Academia privatim et publice docuit. Nobiliores tunc eius difcipuli IOANNES DEMETRIVS SOLIKOVIVS, atque LAVRENTIVS GOSLICIVS fuerunt. Qui, editis perfectae et virtutis, et eruditionis, et fapientiae fpeciminibus, fummos atque altiffimos Ecclefiae et Reipublicae Polonae gradus obtinuerunt: veramque atque aeternam gloriam apud pofteritatem omnem confecuti funt. NOVICAMPIANVS quidem, in ufum ftudiofae iuventutis, opufculum parvum, DE ACCENTIBVS, ET RECTA PRONVNCIATIONE, confecit. Id quanta aviditate ab adolefcentibus fuerit arreptum, vix verbis exprimi poteft. Vidua FLORIANI VNGLERII, Cracovi-

coviensis quondam Typographi, anno MDXLVIII, forma 8 publicavit. Triennio post HIERONYMVS SCHARFFENBERGIVS repetiit. A STANISLAO autem SCHARFFENBERGIO, anno MDLXVII, iterum productum fuit. Claritudinem dignationemque NOVICAMPIANO attulerunt, elegantissimae illae, ANNOTATIONES, quibus FABRICATIONEM HOMINIS, A CICERONE, LIBRO SECVNDO DE NATVRA DEORVM, DESCRIPTAM explanavit: doctaque eius DISSERTATIO, VTRVM COR, AN IECVR, IN FORMATIONE FOETVS, CONSISTAT PRIVS: et luculenta ORATIO, DE LAVDE PHYSICES habita, cum librum ARISTOTELIS περὶ κόσμȣ, id est, DE MVNDO, Graece praelecturus, atque interpretaturus esset. Opuscula haec, ex officina LAZARI, anno MDLI, forma 8, insimul prodierunt. SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, fama NOVICAMPIANI permotus: ipsum, demortui Hungarorum Regis IOANNIS PRIMI, atque ISABELLÆ IAGELLONIÆ, sororis suae adhuc vivae, filio unico, IOANNI SIGISMVNDO, praeceptorem dedit. Idque unum, inter caetera, monuit diligentius: niteretur maximè consilio, studioque, atque labore, ut puerum, regendis populis: et sermone, et lege, et more, itemque et religione diversissimis: destinatum, teneris ab annis, pietate Christiana rectè institueret,

tueret, uſuque imbueret atque obfirmaret. Quod egregie a NOVICAMPIANO fuiſſe praeſtitum, opera illa teſtantur:

I.) SCOPVS BIBLICVS VETERIS ET NOVI TESTAMENTI: Cum Annotationibus ſummam doctrinae Chriſtianae complectentibus. AVTORE ALBERTO NOVICAMPIANO. Eius Praefatio ad IOANNEM SIGISMVNDVM Regis Hungariae filium. SAPIEN. XIII. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei.* CRACOVIÆ LAZARVS ANDREÆ EXCVDEBAT MDLIII. forma 8 maiori.

Edebatur denuò ANTVERPIÆ, APVD IOANNEM BELLERVM MDLV et MDLIX: LVGDVNIque, APVD ALEXANDRVM DE MARSILIIS. MDLXXII. forma 12.

II.) ASSERTIO QVORVNDAM. Qua, inter caeteras non paucas, affirmant: Charitatem non eſſe maiorem, ſeu praeſtantiorem Fide, in hac vita. AB ALBERTO NOVICAMPIANO, SCRIPTVRA SACRA, ET TESTIMONIIS ORTHODOXORVM, CONFVTATA. CRACOVIÆ APVD HÆREDES MARCI SCHARFFENBERGER. ANNO MDLV. 8.

III.) DE CORRVPTISSIMIS SECVLI HVIVS MORIBVS, VARIISQVE ATQVE TVRBVLENTIS IN RELIGIONE CHRISTIANA DOCTRINIS, ALBERTI NOVICAMPIANI ORATIO. Ad Sereniſſimam ISABELLAM Reginam: Illuſtriſſimumque Principem, IOANNEM SIGISMVNDVM, Regem Deſignatum: et ad Ampliſſimos Ordines Regni Hungariae atque Tranſylvaniae. Scripta

Colosvari, in Comitiis generalibus, Anno Domini MDLVI. CRACOVIÆ IMPRESSA, IN OFFICINA HÆREDVM MARCI SCHARFFENBERGER. ANNO A NATALI CHRISTIANO MDLVII. 8.

COLONIÆ deinde, APVD MATERNVM CHOLINVM, MDLXI, forma 8, recusa. Adjectis ERASMI ROTERODAMI EPISTOLIS DVABVS, ET DOCTRINA ET MORIBVS PSEVDOEVANGELICORVM. LVGDVNI etiam, APVD ALEXANDRVM DE MARSILIIS, MDLXXII, forma 12, in lucem revocata: omissis ERASMI EPISTOLIS.

ORATIO ALTERA, DE POTESTATIBVS GEMINIS, QVIBVS REGITVR MVNDVS, ECCLESIASTICA AC REGIA: tum quae illarum officia sint: et de aliis non paucis, de quibus hoc seculo plurimi inter se contendunt, digladianturque, non sine magno Christianae Reipublicae malo: à NOVICAMPIANO quidem fuit composita, in medium tamen non prolata: ut auctor ipse, in Praefatione operis subsequentis, monuit.

IV.) APOLOGIA ALBERTI NOVICAMPIANI, PRO CATHOLICA FIDE, ET DOCTRINA DE VERITATE CORPORIS CHRISTI IESV IN EVCHARISTIA: DE CÆTERISQVE SACRAMENTIS: Liturgiae item seu Missae sacrificio, ac aliis ferè omnibus, quae hoc seculo controvertuntur. In Transyluania Tordae in comitiis anno à CHRISTO nato MDLVII oblata.

Praemissa est Epistola, ad Illustrissimum Principem, IOANNEM SIGISMVNDVM, Hungariae et Transylvaniae Regem Designatum: Praefatioque, ad omnium Ordinum Regni utriusque Viros Spectabiles et Ornatissimos. In quibus Ratio et Ordo Apologiae exponuntur.

Auctore

Auctore è vita hac iam egreſſo: CRACOVIÆ, cum Gratia et Priuilegio REGIÆ MAIESTATIS, LAZARVS ANDREÆ formulis quam nitidiſſimis EXCVDEBAT. ANNO A REDEMPTO MVNDO. MDLIX. forma 4 maiori.

Erat NOVICAMPIANVS ingenio quidem gnavo ac vivido, ſed corpore exili minusque firmo. Caelumque Tranſylvanicum experiebatur tam inclemens, tamque inſalubre, ut valetudini ſuae paene deſperaret. Cui medendae opem in patria ſua quaeſiturus: Cracoviae, anno MDLVIII ferme exeunte, violentia morbi abſumebatur: annos vix natus quinquaginta. Manibus eius in Æde SANCTISSIMÆ TRINITATIS honorate et honorifice conditis, carmine et proſa oratione parentatum fuit, a VIGILANTIO GREGORIO atque BENEDICTO HERBESTO, ſuis olim diſcipulis.

LXXIV.

IOANNES BAPTISTA NOVOSOLIENSIS Hungarus. Cracoviam venit ineunte adoleſcentia. Latinae eloquentiae operam omnem impendit. Eiusque adipiſcendae gratia, per Germaniam Auſtriacam, progreſſus eſt in Italiam. IOANNEM BAPTISTAM PIVM Bononiae praeceptorem habuit: virum, ut ait ipſe, genere orationis minus quidem probatum, ſed tanta, et tam aurea earum

rerum, quae ad humaniora ſtudia pertinent, lectione atque cognitione praeditum et excellentem, ut omnium, in iisdem ſtudiis, ea aetate, facile princeps, et dici, et haberi poſſet. Patavii graviſſimum et clariſſimum dicendi magiſtrum, LAZARVM BONAMICVM, audivit. Eumque et ſumme eſt reveritus, et frequenti honorificaque commemoratione digniſſimum arbitratus. Redux in Poloniam, atque Vrbem Cracovienſem, brevi tempore ad amicitiam acceſſit LEONARDI COXI Angli, MARTINIque DOBROGOSTII Poloni, et FRANCISCI MYMERI Sileſii. Perque eos poſitus eſt in gratia maxima, apud Plocenſem tum Epiſcopum, ANDREAM CRICIVM: Pleſnenſem quoque Dynaſtam, IOANNEM TVRSONEM: et Cracovienſem Proconſulem, FRANCISCVM BONERVM. Quorum perſuaſu et inductu, patriciis nonnullis iuvenibus, ſtudio oratorio deditiſſimis, M. T. CICERONIS, Romanae linguae parentis, pulcherrima ſcripta in privatis aedibus praelegit. Atque horum in uſum: MARCI TVLLII CICERONIS, DE INVENTIONE ET ARTE RHETORICA LIBROS II. IN REGIA POLONIÆ, CRACOVIA. TYPIS MATHIÆ SCHARFFENBERG: IMPENSIS VERO MARCI SCHARFFENBERGER, CIVIS AC BIBLIOPOLÆ CRACOVIEN. ANNO RECVPERATÆ SALVTIS MDXXVII. DIE XIII MENSIS IVNII. forma 8 evulgavit. Quos

Rever.

Rever. in CHRISTO Patri ac Domino, D. ANDREÆ CRICIO, Divina clementia, Plocen. Ecclesiae Antistiti, bonarum litterarum artiumque scientissimo, et litteratorum Patrono singulari, dedicavit. Parique ratione: COMMENTARIORVM RHETORICORVM, AD C. HERENNIVM, LIBROS IV. Eidem Praesuli atque Maecenati inscriptos. CRACOVIÆ. EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNGLERIANA. IMPENSIS MARCI SCARFFENBERGER. Sub finem eiusdem anni. forma simili, in publicum protulit: Et subsequenti anno fere medio: MARCI TVLLII CICERONIS PRO MARCO MARCELLO, QVINTOQVE LIGARIO, AD PATRES CONSCRIPTOS ET CAIVM CÆSAREM, ORATIONES. Generoso et Magnifico Viro, Domino FRANCISCO BONER, Regiae Civitatis Cracovien. Proconsuli, Latini sermonis copia et elegantia, caeterisque nobilissimis doctrinis virtutibusque claro et celebri, dicatas. CRACOVIÆ APVD MATHIAM SCHARFFENBERG. forma 4, in conspectum studiosorum adolescentium, prodire iussit. Eduxitque in publicam lucem: EPISTOLAM MARCI TVLLII CICERONIS, AD QVINTVM CICERONEM FRATREM. QVA BONI PRINCIPIS INSTITVTIO CONTINETVR, QVÆ ANTEHAC PAVCIS VISA ET LECTA EST. Cum suis propriis in hanc Epistolam Annotationibus. IMPRESSAM CRACOVIÆ PER MATHIAM SCHARFFENBERG : IMPENSIS PROVIDI VIRI, MARCI SCHARFFENBERGER,

GER, CIVIS AC BIBLIOPOLÆ CRACOVIENSIS. ANNO CHRISTI 1528. DECIMA OCTAVA DIE AVGVSTI. forma 8. Idque opuſculum, Magnifico et Clariſſimo Viro, Domino IOANNI TVRSONI, Domino Pleſnenſi, ſummo fautori et Maecenati ſuo, nuncupavit.

LXXV.

BALTHASAR OPECIVS, ſacrae Theologiae doctor: ſuoque tempore clariſſimus in Academia Cracovienſi profeſſor: DIVI BONAVENTVRÆ, DOCTORIS EXIMII ORDINIS FRATRVM MINORVM, MEDITATIONES VITÆ IESV CHRISTI SERVATORIS NOSTRI, e Latino in Polonicum ſermonem convertit. Typisque HIERONYMI VIETORIS. ANNO SAL. MDXXXVIII. forma 8 maiori excuſas. SIGISMVNDI MAGNI POLONIÆ REGIS FILIÆ, ELISABETHÆ, REGI HVNGARORVM IOANNI PRIMO DESPONSÆ, obtulit. Quae librum hunc ſaepicule perlegit: Divaeque virginis CÆCILIÆ exemplo inflammata et incenſa, ubicunque fuerit, in manibus geſtitavit.

LXXVI.

SEVERINVS OREANDER, Baſileenſis Helvetius, homo litteratiſſimus: doctique atque operoſi Typographi, IOANNIS OPORINI, condiſcipulus quondam atque contubernalis: animi cauſa, totam fere Germaniam

niam ſuperiorem, in eaque praecipuas Academias omnes perluſtravit. Iter inde in Poloniam direxit. Ingreſſusque Cracovienſem Vrbem, ingenii morumque elegantia, Regni tum Cancellarii, et Praefecti Goſtinenſis, PAVLI WOLSCII, non mediocrem captavit benevolentiam. Totam autem BONERORVM domum, conſuetudine ſua, et obſervantia, ſibi devinxit maxime. Eorumque clientes, atque familiares, ANSELMVM EPHORINVM, et WOLFGANGVM DROSCHIVM, et FRANCISCVM MYMERVM, ad amicitiam ſuam, atque ſocietatem attraxit. Ab ipſo ſunt edita :

I.) PÆDAGOGIVM, SEV MORVM PVERILIVM PRÆCEPTA CHRISTIANA, AVTORE NICOLAO BORBONIO VANDOPERANO LINGONEN. POETA LAVREATO. Cum Scholiis breviſſimis SEVERINI OREANDRI Baſileen. Aliisque nonnullis, ad puerilem pietatem ſpectantibus. Nobili ac generoſae indolis, optimaeque ſpei puero, SEVERINO BONERO Iuniori, Magnifici Domini Caſtellani et Capitanei Biecen. &c. filio accommodatum. IMPRESSVM CRACOVIÆ PER MATHIAM SCHARFFENBERGIVM. ANNO 1542. IDIBVS MARTIIS. 8.

II.) PICTORII POETÆ LVCVLENTISSIMI, EPIGRAMMATA SACRA ET SATYRICA. Cum SEVERINI OREANDRI Epigrammate, ad D. IOANNEM BONERVM, filiorum Magnifici Domini Caſtellani et Capitanei Bieceñ. &c. maximum

natu: formaeque decore, et virtutis, et doctrinae elegantioris ornamentis commendatiſſimum. CRACOVIÆ HIERONYMVS VIETOR IMPRIMEBAT MENSE IANVARIO. A. D. MDXLIII. 8.

III.) MARCI HIERONYMI VIDÆ CREMONEN. POETÆ NOSTRA ÆTATE ELEGANTISSIMI. POETICORVM LIBRI III. Cum SEVERINI OREANDRI Baſileen. Epiſtola, ad Magnificum et Illuſtrem Virum, Dominum SEVERINVM BONERVM de Balicze, Caſtellanum et Capitaneum Biecen̄. Communem omnium ſtudiorum ac ſtudioſorum Patronum. CRACOVIÆ EXCVDEBAT HIERONYMVS VIETOR. ANNO CHRISTI SALVATORIS MDXLIV. XI KALENDAS APRILIS. 8.

IV.) CLARISSIMI VATIS, BASILII ZANCHII BERGOM. AD PETRVM BEMBVM CARD. DE HORTO SOPHIÆ LIBRI II. Cum SEVERINI OREANDRI Baſileen. Epiſtola ad Reuerendiſſimum et Illuſtrem Virum, D. PAVLVM DE WOLA, deſignatum iam Epiſcopum Poſnanien̄. Radomienſem antea Caſtellanum, Regnique Poloniae Cancellarium, et Capitaneum Goſtinen̄. Litterarum ac litteratorum perfugium, et praeſidium. IMPRESSVM CRACOVIÆ IN ÆDIBVS HIERONYMI VIETORIS. Sine temporis indicio. 8.

V.) EPIGRAMMATA QVÆDAM, IN HONOREM PATRICIÆ DOMVS BONERIANÆ, partim DROSCHII, partim MYMERI opuſculis inſperſa.

LXXII.

LXXVII.

SVENTOSLAVS ORZELSKI, familia ortus nobili ditique, *Evangelicorum*, ut vocant, ſacra profitebatur. Quorum utilitati, modis omnibus, inſerviebat. Ineunte ſtatim aetate acceſſit ad Rempublicam. Poloniae Maioris Legatus, HENRICI VALESII Regis electioni atque inaugurationi affuit. Eademque auctoritate, ad conventus generales, qui poſt HENRICI abitum agebantur, miſſus eſt. Civibus autem graviſſime tunc diſſentientibus: pro parte illorum immotus ſtetit, qui Regem non alium, niſi genere atque inſtitutione Polonum, percupiebant. Inſecutaque electione gemina: ANNÆ IAGELLONIÆ Reginae, futuroque ipſius marito, STEPHANO BATHOREO, nomen ſuum dedit. A STEPHANO Rege Praefecturam Radeovienſem, iurisdictione ac reditibus inſignem, impetravit. Favore publico tum maxime florens, electus eſt comitiorum, quae Varſaviae anno MDLXXXII celebrabantur, Mareſchalcus. Comitia tamen illa haud feliciter ſucceſſerunt. STEPHANO Rege demortuo: ORZELSCIVS ad eos ſeſe adiunxit, qui SIGISMVNDO III ſuffragati ſunt. Regi autem huic, ut ſectator atque propagator novae religionis, minime acceptus fuit.

ORZELSCII enim inſtinctu ductuque, *Diſſidentes de Religione Catholica* Thorunii, Pruſſorum Vrbe praecipua, XII Kalendas Septembres anni MDXCV, *Synodum* frequentem inſtituebant. Cui ORZELSCIVS ipſe praeſidebat. Vitae caeteroquin integer, ſcelerisque purus: voluptati eruditae plurimum indulſit. Studioſiſſimusque hiſtoriarum, volumen ipſe haud parvum contexuit. Quo Gentis Polonicae facinora illuſtria, a Divi SIGISMVNDI AVGVSTI exceſſu, usque ad STEPHANI principatus exordium, pari ingenio curaque eſt complexus. Impenditque enarrandis ſecretioribus, quorum ipſe ſpectator et teſtis fuit, laborem et induſtriam ſingularem. Autographi exemplaris, in ZALVSCIANA Bibliotheca publica exſtantis, inſcriptio ſic ſe habet: INTERREGNI POLONIÆ LIBRI VIII. A SVENTOSLAO ORZELSKI RADEOVIENSI CAPITANEO EDITI ANNO SALVTIS MDLXXVI. SVB INITIVM IMPERII DIVI STEPHANI I POLONIÆ REGIS, MAGNI LITVANIÆ DVCIS, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MAZOVIÆ, POMERANIÆ, SAMOGITIÆ, KIIOVIÆ, VOLHYNIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆQVE, ETC. ETC. DOMINI, NECNON TRANSYLVANIÆ PRINCIPIS. folii magnitudine. Memoratiſſimum autem opus illud nequaquam fuit ante civium oculos adductum. Neque vero poterit in apertum proferri; quamdiu familiae illae vigebunt,

bunt, quibus ORZELSCII ſtilus liberrimus ſtigmata perpetua impreſſit.

Eſt in Bibliotheca hac publica, a ZALVSCIIS Illuſtribus, Patriae ſuae dedicata, codex alius, forma 4, calamo exaratus: ordine M M XI. Cui inſunt auctoris non invenuſti, Reique Publicae gnari, nobis autem adhuc ignoti: COMMENTARIORVM RERVM SVB INTERREGNO, A MORTE SIGISMVNDI AVGVSTI, VSQVE AD CORONATIONEM STEPHANI PRIMI, FELICITER REGNANTIS, IN POLONIA GESTARVM, LIBRI DVO, ab ORZELSCII opere longe diverſi.

LXXVIII.

PANNONIÆ LVCTVS: QVO PRINCIPVM ALIQVOT, ET INSIGNIVM VIRORVM MORTES, ALIIQVE FVNESTI CASVS, CARMINE VARIO DEPLORANTVR: AB AVCTORIBVS DIVERSIS, NEMPE LAZARO BONAMICO, IOACHIMO CAMERARIO, VALENTINO ECKIO, ANSELMO EPHORINO, STANISLAO GLANDINO, CLEMENTE IANICIO, IOANNE LANGO, GEORGIO LOGO ATQVE GEORGIO WERNERO, ETC. CRACOVIÆ HIERONYMVS VIETOR EXCVDEBAT. MDXLIIII. forma 8 minori. Parvulus eſt liber: ſed elegantiſſimus: omniumque, qui in Polonia foras editi ſunt, longe rariſſimus. E publico ZALVSCIORVM muſeo, per furem doctum ablatus. Superſtitem

tem in Bibliotheca opulenta ſplendidaque REIPVBLICÆ AVGVSTANÆ Inclytiſſimae atque Florentiſſimae manere: conjici poteſt ex huius BIBLIOTHECÆ CATALOGIS luculentis, ſed in Germania ipſa inventu rariſſimis, GEORGII HENISCHII atque ELIÆ EHINGERI Bibliothecariorum ſtudio et opera confectis, publicatisque. Quorum alterius pagina 541, PANNONIÆ LVCTVM, Poetarum voluminibus interſertum, indicat: alterius autem pagina 736, eundem libellum, ordine eodem recenſet.

LXXIX.

SIGISMVNDVS PHÆDRVS Derutinus, e Sodalitio Minorum Conventualium, divinarum litterarum profeſſor conſummatisſimus, in Comitiis Imperii Romani celeberrimis, Auguſtae Vindelicorum anno MDXLVIII celebratis, Cardinali atque Antiſtiti Tridentino, CHRISTOPHORO MADRVCCIO, fuit a ſacris ſtudiis et concionibus. Inque exſequiarum officio ſollemni: quod in Vrbis illius Baſilica Maiori, Nonis Maii, defuncto tunc Polonorum Regi, SIGISMVNDO MAXIMO, a CAROLO QVINTO, Imperatore Romano, apparatu regio perſolvebatur: praeſente CAROLO ipſo Auguſtiſſimo, fratreque eius

germano FERDINANDO Romanorum Rege, Principibus quoque Electoribus, atque reliquis Imperii Ordinibus: orationem comtam ac flebilem dixit. Quam: *EPICEDII* titulo insignitam: eodem adhuc anno, Typographo Augustano, PHILIPPO VLHARDO, forma 8 excudendam commisit.

LXXX.

VALENTINVS POLYDAMVS Italus, scientia medicinae, studioque poëtico clarus, visis Hungariae provinciis, ad Poloni Imperii sedem, Cracoviam, accessit. Cracoviensisque Ecclesiae Episcopo, atque Regni Poloniae Cancellario, PETRO TOMICIO, bonis litteris, bonisque ingeniis indulgentissimo, opuscula duo obtulit. Vnum, forma 4, huiusmodi habet titulum:

CONTENTA IN HOC LIBELLO

DE LAVDE MEDICINÆ VALENTINI POLIDAMI ELEGIA.

EIVSDEM DECLAMATIO IN LAVDEM MEDICINÆ.

ERASMI ROTERODAMI DECLAMATIO IN LAVDEM MEDICINÆ.

VALENTINI POLIDAMI ELEGIA, ET CONCIO DE NATALI IESV.

ERASMI ROTERODAMI CONCIO DE PVERO IESV.

VALEN-

VALENTINI POLIDAMI ELEGIA DE CHRISTIANA RESVRRECTIONE.

EIVSDEM EXORDIVM NARRANDI DE CHRONICA REGVM HVNGARIÆ.

CRACOVIÆ PER MATHIAM SCHARFFENBERG. ANNO M. D. XXXII.

Alterum, forma 8 maiori, hac inſcriptione eſt adornatum: HAEC SVNT: QVÆ CONTINENTVR IN HOC LIBRO. PER VALENTINVM POLIDAMVM, QVERELA COMMVNIS POPVLI, DE PACE, AD CHRISTIANOS PRINCIPES, CONTRA ETHNICOS; ET ERASMI ROTERODAMI QVERELA DE PACE. VTRAQVE ELEGANTISSIMO STYLO CONDITA LECTORI PATEBIT. VALENTINI POLIDAMI LIBER SEXTVS ex noua, et nondum in lucem data Chronica Hungarorum excerptus, quam tali elegantia ſcripſit, quali inter Chriſtianos pauciſſimi autores propter rudis ingenii, inſcitiae, arrogantiae, ſuperbiaeque dominatum ſcripſerunt aliquando hiſtorias alicuius gentis, vel Regni, vel Illuſtrium Virorum. Tota autem Chronica usque ad tempora noſtra ſcripta, et exornata eſt concionibus, et epitaphiis, et additionibus ſecundum res geſtas regum. Item Venuſto, ac Delectabili ſtylo, ueterumque elegantiarum multa cura, Bohemorum Chronica componitur usque ad tempora noſtra. IN REGIA VRBE CRACOVIENSI MATHIAS SCHARFFENBERG IMPRESSIT. ANNO AB ORBE REDEMPTO M. D. XXXIIII.

LXXXI.

LXXXI.

VALENTINVS POSNANIANVS. Cognomen ei datum a patria urbe, Poloniae Maioris principe. Grammaticam et humaniores litteras docuit complures annos in Academia Cracovienſi. Habuitque ibi diſcipulum, ſui amantiſſimum, cupidiſſimumque, ERASMVM VITELLIVM: qui poſtea, ſummae et doctrinae, et prudentiae, virtutisque commendatione, nobilem ac opulentam Clarae Tumbae Abbatiam, inſignemque Proepiſcopi Cracovienſis honorem eſt aſſecutus. VALENTINVS quidem, aetate iam inclinante, remigravit Poſnaniam. Gymnaſiique LVBRANSCIANI doctoribus adſcriptus, deſtinatos ſacerdotio iuvenes, ſacris diſciplinis inſtituit. Prodiit Lipſiae, e MELCHIORIS LOTTERI Typographi diligentiſſimi Officina, anno poſt CHRISTVM natum MDXXXVI, forma 8: PROPVGNACVLVM ECCLESIÆ: ADVERSVS VARIAS SECTAS HVIVS TEMPESTATIS: PER VALENTINVM POSNANIANVM: EX VARIIS SACRAE SCRIPTVRAE LOCIS: DOCTORIBVSVE BREVITER COLLECTVM. Ex verbis Chriſti Domini: *Matthaei XXIIII.* triplex cauſa ruinae Chriſtianorum in corruptos mores demonſtratur, *Et ſcandaliſabuntur* inquit *multi;* En tibi primam cauſam, ſcandalum. Sequitur: *multi Pſeudoprophetae ſurgent;* Ecce ſecundam, doctrinam

nam haereticorum. Addit: *Et quoniam abundabit iniquitas: refrigeſcet charitas multorum;* Habes tertiam ex paſſione. Idque opus, laudato Clarae Tumbae Abbati, ERASMO VITELLIO, inſcriptum eſt. Inſequenti autem anno, eodem in Typographeo, forma ſimili eſt excuſum: OPVSCVLVM QVADRAGESIMALE PER VALENTINVM POSNANIANVM RECOLLECTVM: OMNIBVS, ET POTISSIMVM IN VINEA DOMINI LABORANTIBVS, PERVTILE. Continens: Tractatulum de Poenitentia et partibus eius. Tractatumque de decem Praeceptis Dei. Declarationem Orationis Dominicae. Et Declarationem Symboli Apoſtolorum. Poſnanienſi tunc temporis Antiſtiti, IOANNI e Ducibus Lituaniae, Religionis atque eruditionis nomine, longe clariſſimo dedicatum.

LXXXII.

IACOBVS PRILVSIVS Ieſſovius, Poloniae Minoris Nobilis: ob praeclariſſima ingenii et doctrinae ornamenta: ſingularemque inprimis ex tempore dicendi facultatem, et inſignem Latini Graecique ſermonis ſcientiam: eximiam quoque Polonici iuris, cum privati, tum publici intelligentiam, patriarumque omnium rerum longa magnaque experimenta: Cracovienſi Palatino et Praefecto generali, Regnique Poloniae Mareſchalco

ſchalco ſupremo, PETRO KMITÆ, incredibilem in modum carus, familiarisque exſtitit. Cui ille, aevo florente, ſcribendis Epiſtolis Latinis, operam locavit ſuam. KMITÆque Maecenatis ſtudio et auctoritate, divitem in Roxolania Moſciſcenſis Eccleſiae Praepoſituram, a SIGISMVNDO PRIMO Rege obtinuit. Neque minus delectatus eo fuit PETRVS BORATINVS, primarius tum Regis Secretarius, Cracovienſisque Propraefectus et Burggravius. Qui potiſſime ipſum, ad ordinanda promulgandaque omnia REGNI STATVTA, incitavit atque impulit. Cum STANISLAO ORICHOVIO, ſummo illo, atque illuſtri Oratore, a iuventute ſua, usque ad extremae aetatis tempus, vixit amantiſſime et concordiſſime. Eodemque animi ardore, conſtantiaque, complexus eſt ANDREAM TRICESIVM, Poëtam clarum et nobilem. Inter reliquos amicos: SIMONEM MARICIVM, optimum eloquentiae magiſtrum: et PETRVM ROYZIVM, iuris civilis cognitione, arteque iuſtitiae, et carminis ſcribendi copia et celeritate excellentem: obſervantia ſingulari et praecipua coluit, dilexitque. Sub principatu SIGISMVNDI, poëtica haec opuſcula, a PRILVSIO, in publicum ſunt emiſſa:

1.) FVNEBRE CARMEN, SERENISSIMÆ PRINCIPI ET DOMINÆ, D. ELISABETH, SE-

RENISS. ROM. HVNG. BOHE. ETC. REGIS FILIÆ: POTENTISS. AC INVICTISS. PRINCIPIS ET DOMINI, D. SIGISMVNDI AVGVSTI, DEI GRATIA REGIS POLONIÆ, MAGNI DVCIS LITHVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆQVE ETC. CONIVGI LONGE CHARISSIMÆ, XV. IVNII VILNÆ MORTVÆ, A IACOBO PRILVSIO IESS. POLO. Elegis EX TEMPORE CONSCRIPTVM. CRACOVIÆ IN OFFICINA TYPOGRAPHICA HIERONYMI VIETORIS. ANNO MDXLV. 4.

II.) AD EQVITES POLONOS, PRO SACERDOTIBVS, TVRCICVM BELLVM VNA CVM ILLIS SVSCIPIENTIBVS: ET PRO PETRO GAMRATO, REGNI PONTIFICE MAXIMO. Elegia IACOBI PRI. IESS. APVD HIE. VIET. CRAC. AN. 1545. 4.

III.) GRATVLATORIVM CARMEN, SAMVELI MACIEIOVIO, EPISCOPO CRACOVIENSI DESIGNATO, REGNI POLONIÆ PROCANCELLARIO, AB IACOBO PRZILVSIO IESSOVIO POLONO versibus elegiacis CONSCRIPTVM. CRACOVIÆ APVD VIDVAM FLORIANI. 1545. 4.

IV.) IACOBI PRILVSII IESSOVII POLONI ELEGIA. QVA MARTINVM LVTHERVM, AD SARCIENDAM CONCORDIAM ECCLESIÆ CHRISTI, HORTATVR. Annexa eſt, STANISLAI ORICHOVII RVTHENI ECCLESIÆ CHRISTI CONTRA MART. LVTHERVM DEFENSIONI: quae CRACOVIÆ, EX ÆDIBVS HIERONYMI VIETORIS, ANNO DOMINI MDXLVI, forma 8 maiori, in publicum proceſſit.

V.) EPI-

v.) EPITAPHIA bina, DIVO SIGISMVNDO, REGI POLONORVM OPTIMO MAXIMO. Elegis ſcripta. AVTORE IAC. PRIL. Adiecta ſunt FVNEBRI ORATIONI, HABITÆ A STANISLAO ORICHOVIO RVTHENO, AD EQVITES POLONOS, IN FVNERE SIGISMVNDI IAGELLONIS POLONIÆ REGIS. CRACOVIÆ EXCVSÆ APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII. 1548. 8.

Mortuo SIGISMVNDO SENIORE, Polonorum Rege: PRILVSIVS mox Praepoſituram Moſciſcenſem deſeruit. Adiunctaque ſibi uxore: reliquum vitae in foro et cauſis actitandis contrivit: Premiſliae Caſtrenſis, Cracoviae autem Terreſtris Notarii, Ædilisque officium, a PETRO KMITA, Vrbium illarum atque Terrarum Praefecto, adeptus. SIGISMVNDO autem AVGVSTO, imperii potito, *STATVTORVM REGNI* prodromum, ſic inſcriptum porrexit:

vi.) STATVTA REGNI POLONIÆ: METHODICA DISPOSITIONE, PROPTER FACILIOREM OMNIVM CAVSARVM EX IVRE ANTIQVO ET NOVO DEFINITIONEM CONSCRIPTA: AC DIVI SIGISMVNDI AVGVSTI REGIS POLONORVM POTENTISSIMI, MAGNI LITVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, ET SAMOGITIÆ PRINCIPIS: NECNON EIVS REVERENDISS. AC ILLVSTRISS. SENATVS: SIMVLQVE EQVESTRIS ORDINIS LEGATORVM, IVDICIO AC CENSVRÆ, IN

CONVENTIONE REGNI GENERALI PETRICOVIEN. ANNO 1548 EXHIBITA. QVÆ QVIDEM REGNI STATVTA, DIVIDVNTVR IN LIBROS SEX.

AD LECTOREM.

Si quid hic desideras, dabis spero veniam, mi Lector. Materia enim operis, neque addi sibi, neque deteri quidquam, multò minus etiam limari patiebatur. Nihil autem semel repertum est: simulque expolitum. Quin omnia discimus errando. Porro tempus ita maturare editionem cogebat: ut propemodùm simul me parere ac lambere fuerit necesse. Vale.

CRAC. APVD VIDVAM HIERONY. VIET. folii magnitudine.

Apposita est PRILVSII ipsius, ad Regem, Elegia culta eruditaque. Quam Epistola elegans, ad KMITAM, Maecenatem suum perscripta, subsequitur. Cui Graecum Epigramma haud illepidè est subtextum: ad Iuvenes Polonos, ut pacis bellique Iura, hic a Legumlatoribus praescripta servent: Litterisque ac Militiae studeant, contentione forensi posthabita. Hocce autem opus, non leges ipsas, sed titulos legum exhibet.

Integrum autem STATVTORVM volumen, superatis impedimentis maximis, indito titulo illo magnifico prolixoque, in Reipublicae totius produxit conspectum:

VII.) LEGES SEV STATVTA AC PRIVILEGIA REGNI POLONIÆ OMNIA. Hactenus, magna ex parte, vaga, confusa, et sibi pugnantia: iam autem, in gratiam D. SIGIS-

MVN-

MVNDI AVGVSTI Regis Poloniae, et in uſum Reipublicae, ab IACOBO PRILVSIO, Caſtren. Premiſlien. et tum Terreſtri Cracovien. Notario ac Ædili, collecta, digeſta, et conciliata. Ita, ut una Lex ſit de uno quovis Negocio: indeque noſtrae, immo vero optimae Reipub. forma, omnibus ſui partibus, deſcripta appareat. His omnibus etiam Praefationes et Commentaria, ex Regum decretis, conſuetudinibus Regni, variisque Scriptoribus ac Legislatoribus, conflata: non tamen Legum, ſed, apud gratos Lectores, vim tantum Conſiliorum habitura, opportunis locis acceſſerunt. QVÆ QVIDEM STATVTA DIVIDVNTVR IN LIBROS SEX.

PRIMVS LIBER DE REGE, NECNON SPIRITVALIBVS ET SÆCVLARIBVS CONSILIARIIS, OFFICIALIBVS SEV MAGISTRATIBVS REGNI. ITEM DE MILITIBVS. ITEM DE MERCATORIBVS, OPIFICIBVS, ET AGRICOLIS. ITEM DE SERVIS, VAGIS, ET MENDICIS. ITEM DE IVDÆIS, ET PAGANIS.

SECVNDVS DE REBVS FISCI REGII.

TERTIVS DE REBVS SPIRITVALIVM ET SÆCVLARIVM.

QVARTVS DE ACTIONIBVS TERRESTRIS IVDICII.

QVINTVS DE DVCATIBVS REGNO VNITIS FOEDERATIS, ET EXTERNIS ITEM DE PACE ET OBEDIENTIA, AC DE LEGATIONIBVS.

SEXTVS DE RE MILITARI.

Opus, labore ac ſumptu meo, partim in Sczuczin, partim ſub Arce Cracovien. in aedibus meis, ad Antrum Draconis, ſcriptum: et toto biennio eſt excuſum: abſolutum vero ineunte anno 1553. folii magnitudine.

Praefixum operi huic eſt, à PRILVSIO, Prooemium longum, ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM Regem. Additumque alterum, ad Senatum Populumque Polonum, nec non ad PETRVM KMITAM, principem Maecenatem ſuum. Sequitur tum: IN LEGES ET STATVTA REGNI POL. AB IACOBO PRILVSIO DIGESTA, AD EQVITES POLONOS, STANISLAI ORICHOVII RVTHENI ORATIO. Cui, DE OPERIS HVIVS COMMENDATIONE, ELEGIACVM CARMEN ANDREÆ TRICESII, EQVITIS POLONI, annectitur. REGNI deinceps STATVTA, eo ordine, quem titulus operis oſtenderat, maiorem partem accuratè exhibentur: admiſtis praefationibus, commentariisque copioſiſſimis, ſed inutiliſſimis, ineptiſſimisque. In quibus matrimonium, Epiſcoporum ac Presbyterorum quaſi proprium, longè plurimùm aſſeritur: arreptaque omni occaſione, religioni avitae illuditur: Eccleſiaſticus autem Ordo innocentiſſimus, à Sacerdote mulieroſo, audacia immani laceſſitur. Quo nomine non eſt mirandum, quod ab Epiſcopis, eo tempore püſſimis, doctiſſimisque pariter atque providentiſſimis, opus tam venenatum et peſtiferum: Apoſtolicaeque Eccleſiae Romanae tam iniurium, noxiumque: legi fuerit vetitum. Ne SIGISMVNDVS quidem AVGVSTVS Rex: ſectarum novarum quamvis patientiſſimus: à PETRO KMITA, Palatino Cracovienſi atque Regni Mareſchalco, PRILVSII tutore et defenſore valentiſſimo, potuit exorari; ut Regni ſui, totius orbis terrarum nobiliſſimi STATVTA, PRILVSII livore foedata, aſſenſu ſuo approbaret. Fuitque demùm opus infauſtum, Regis ipſius decreto damnatum.

Quae PRILVSIVS Libro Sexto, DE PROVINCIIS, SEV DVCATIBVS REGNO POL. VNITIS, AC EXTERNIS, propoſuit: à IOANNE PISTORIO, in POLONICÆ HISTORIÆ CORPORIS TOMVM I. p. 171 - 255. atque à LAVRENTIO MIZLERO, Polonis amiciſſimo, in HISTORIARVM POLONIÆ SCRIPTORVM COLLECTIONIS MAGNÆ TOMVM I. p. 282 - 387. ſunt illata.

PRI-

PRILVSIVM hunc Leges, Statuta, et Privilegia Polonice in folio Cracoviae 1553 divulgaſſe: in MVSEO POLONO, quod IOSEPHI ALEXANDRI Principis IABLONOVII, Palatini Novogrodenſis, operae impenſaeque debemus, p. 206. memoriae eſt traditum. Quem ego errorem, non Principi ipſi litteratiſſimo: Auctorumque domeſticorum exiſtimatori ac vindici ſummo: ſed Celſitudinis Suae amanuenſi attribuo.

Eundem PRILVSIVM, in obitum SIGISMVNDI I Poloniae Regis, Orationem longe diſertiſſimam; itemque Librum peculiarem de Legatione; et Librum Epiſtolarum Familiarium ſcripſiſſe: in ELOGIIS ET VITIS CENTVM ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM. p. 144. poſteris admodum incerto prodidit SIMON STAROVOLSCIVS.

Mortem obiiſſe PRILVSIVM in Vrbe Cracovia, circa anni MDLIIII initium: e Scriptoris externi, PRILVSII tamen aetati aequalis, IOSIÆ SIMLERI Tigurini, EPITOME BIBLIOTHECÆ CONRADI GESNERI, Tiguri MDLV folii magnitudine in lucem edita, p. 84. b. intelligimus. Anno quidem MDLVIII exoriente, Cracoviae CHRISTOPHORI KOBILIENSCII, Poëtae excellentiſſimi, EPIGRAMMATVM Libellus, forma 4

fuit publicatus. Cui verſiculi nitidi, in tumulum PRILVSII noſtri, p. 31. ſunt inſperſi.

Floret his temporibus: familia eadem prognatus: IOANNES PRILVSIVS, Societatis IESV e Provincia Poloniae Minoris Theologus: vir doctus, gravisque, et ſapiens. Qui opuſculis ſuis, vernaculo ſermone vulgatis, ORTHODOXÆ ECCLESIÆ POLONICÆ IVRA ATQVE PRIVILEGIA, contra heterodoxorum impetus, haud infeliciter propugnavit.

LXXXIII.

SIMON PROSSOVIANVS. Ortum atque cognomentum ſuum, acceptum retulit Proſoviae, Poloniae Minoris civitati: in qua Cracovienſis totius Palatinatus Nobilitas peculiares ſuos Conventus celebrare ſolet. SIMON ille quidem Cracoviae verſatus eſt frequentiſſime atque familiariſſime, cum NICOLAO BEDLENSCIO, Cathedralis Eccleſiae Scholaſtico, PETRIque TOMICII Pontificis Vicario Generali, bonis omnibus artibus ac diſciplinis erudito atque exercitato. A quo primum Divi FLORIANI Lyceo, ac deinde Cathedrali in Regia Arce Gymnaſio, praefectus eſt. Quo etiam auſpice, anno Salutis MDXXXII, M. ANDREAE FVLVII SA-

BINI

BINI ARTEM METRICAM, à FLORIANO VNGLERIO, forma 8, excudendam curavit. Cui proprios LIBROS II, AD VERSIFICANDI ARTEM, VT NECESSARIOS, ITA PERVTILES, ſubiunxit. Iuſſitque eodem tempore, ſuam propriam, AD REVERENDISSIMVM IN CHRISTO PATREM AC DOMINVM, D. PETRVM TOMICIVM, EPISCOPVM CRACOVIENSEM, DE REDITV. FELICISS. ELEGIAM, ſine Typographi mentione, forma 4, foras egredi.

AVCTORVM POLONICORVM CATALOGVS VNIVERSALIS: Kiovienſis Praeſulis doctiſſimi atque laborioſiſſimi, IOSEPHI ANDREÆ Comitis ZALVSCII, manu propria, foliis integris concinnatus: Tomo II. p. 1009. SIMONIS PROSSOVIANI *LYRICA*, DE ANNVNCIATIONE: CONCEPTIONE: NATIVITATE CHRISTI. Ad IODOCVM LVDOVICVM DECIVM, Regium tunc Secretarium ſcripta. Typisque HIERONYMI VIETORIS, anno MDXXXV, forma 12 impreſſa; mihi autem ipſi nunquam viſa, commemorat.

LXXXVI.

MELCHIOR PVDLOVIVS, Nobilis Polonus e Siradienſi Palatinatu. Cracoviae multum operae dedit elegantioribus litteris: doctore uſus IACOBO GORSCIO, temporum ſuorum eloquentiſſimo, eruditiſ-

ſimoque. PVDLOVIVS ille, Regiorum in Secretariorum numero collocatus eſt, ſub regni SIGISMVNDI AVGVSTI exitu. Delatum ſibi a Siradienſi Nobilitate Iudicis Terreſtris honorem accipere noluit. Amicitiam praecipue coluit, cum Praefecto Tykocienſi, LVCA GORNICIO, ANNALIVM POLONICORVM ÆTATIS SVÆ, graviſſimo ſcriptore. Exſtant in ZALVSCIORVM muſeo publico:

I.) ELEGIA, OB MORTEM ILLVSTRIS OLIM ET MAGNIFICI DOMINI, D. IOANNIS COMITIS DE TARNOW, CASTELLANI CRACOVIEN. EXERCITVVM REGNI POLONIÆ IMPERATORIS, ETC. A MELCHIORE PVDLOVIO SCRIPTA. LAZARVS ANDREÆ EXCVDEBAT XI IVNII. 1561. 4.

II.) MELCHIORIS PVDLOVII ORATIO PRO REP. ET RELIGIONE AD MAGISTRATVM POLONIÆ. CRACOVIÆ VI. IDVS AVGVSTI. ANNO DOMINI 1562. ſine indicio Typographi. forma 8, in lucem prolata.

In Epiſtolarum STANISLAI Cardinalis HOSII editarum volumine, prolixa Epiſtola illa: quae ordine eſt CCXXXV: ad MELCHIOREM PVDLOWSKI, Regium hunc Secretarium, Catholicae religionis, patriaeque ſalutis tuendae, et conſervandae ſtudioſum, exarata eſt Romae X. Aprilis MDLXXV.

III.) MELCHIORIS PVDLOVII NVGARVM LIBER I. Carmine vernaculo. CRACOVIÆ EX OFFICINA LAZARI. 1586. 4.

LXXXV.

LXXXV.

MATHIAS PYRSERIVS Silesius. Cracoviensi in Academia, praecipuum eloquentiae ac sapientiae magistrum, habuit RVDOLPHVM AGRICOLAM. Perque eum, Epistolarum officium, apud Palatinum Cracoviensem, summumque Regni Cancellarium, CHRISTOPHORVM SZYDLOVIECIVM obtinuit. Usus est et condiscipulo atque amico, VALENTINO ECKIO, qui ei, praestantissimi illius litterarum atque litteratorum fautoris ac patroni, ALEXII TVRZONIS, supremi Hungariae Thesaurarii, gratiam conciliavit. PYRSERII scripta sunt:

I.) M. PYRSERII SILESII AD DIVAM CATHARINAM, PATRONAM PIORVM STVDIORVM, *ELEGIA*. Addita est VALENTINI BASONII PANNONII, IN LAVDEM DIVAE illius VIRGINIS ORATIONI, quae APVD REGIAM SARMATIAE CRACOVIAM. IN AEDIBVS HIERONYMI VIETORIS. ANNO AB HVMANITATE REDEMPTA MDXXIII. forma 4 maiori prodiit.

II.) MATHIAE PYRSERII, AD AMPLISSIMVM PRAESVLEM PREMISLIENSEM, ANDREAM CRICIVM, *EPIGRAMMA*. Adjectum est PHILIPPI CALLIMACHI EXPERIENTIS, AD INNOCENTIVM VIII. P. M. DE BELLO TVRCIS INFERENDO, ORATIONI, quae APVD CANDIDAM CRACOVIAM, REGIAM POLONIAE, IMPENSIS, SVMPTV, ET OPERA DOMINI IOANNIS HALLER. ANNO M. D. XXIV. MENSE IANVARIO. forma 4, publicam lucem adspexit.

III.) MA-

III.) MATHIAE PYRSERII, AD ORNATISSIMVM VIRVM, VALENTINVM ECCHIVM, *EPISTOLA* DE VXORE DVCENDA. Edita eſt, cum ipſius ECKII CARMINE ELEGIACO, VTRVM PRVDENTI VIRO SIT DVCENDA VXOR? CRACOVIAE PER HIERONYMVM VIETOREM M. D. XXIIII. MENSE IVNIO. forma 4.

IV.) RODERICI DVBRAVII BOHEMI LIBELLVS, DE COMPONENDIS EPISTOLIS. Cum MATHIAE PYRSERII Sileſii Praefatione, ad ſtudioſam Sarmatiae iuventutem. CRACOVIAE DENVO EXCVSVS PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO REDEMPTAE SALVTIS. M. D. XXIV. PRIDIE NONAS DECEMBRIS. forma 4.

V.) ANDREAE CRICII, EPISCOPI PREMISLIEN. AD IOANNEM ANTONIVM PVLLEONEM, BARONEM BRVGII, NVNTIVM APOSTOLICVM IN VNGARIA, DE NEGOTIO PRVTENICO *EPISTOLA.* Cui praemiſſa eſt, MATHIAE PYRSERII Sileſii Epiſtola, ad Illuſtrem ac Magnificum Dominum CHRISTOPHORVM Comitem de SZYDLOWIEC, Palatinum ac Praefectum Cracovieñ. Regnique Poloniae Supremum Cancellarium. Sub finem opuſculi, attextum eſt, AD SERENISS. SIGISMVNDVM POLONIAE REGEM MATHIAE PYRSERII SILESII *EPIGRAMMA.* Alterumque, IN SOMNIVM ALBERTI MARCHIONIS PRVSSIAE DVCIS, EIVSDEM M. PYRSERII. CRACOVIAE PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO DOMINI MILLESIMO QVINGENTESIMO VIGESIMO QVINTO. KALEN. MAII. forma 4.

VI.) AD

VI.) AD ILVTSTREM AC MAGNIFICVM DOMINVM CHRISTOPHORVM DE SZYDLOWIEC, PALATINVM ET PRAEFECTVM CRACOVIEN. REGNI POL. CANCELLARIVM SVPREMVM: IN OBITV GRATISSIMI EIVS FILIOLI LVDOVICI NICOLAI: EPISTOLA CONSOLATORIA, Elegis conſcripta. AVTORE MATHIA PYRSERIO SILESIO. CRACOVIÆ HIERONYMVS VIETOR TYPIS EXCVDEBAT. ANNO CHRISTIANO MDXXV. 4.

VII.) DE CONFLICTV HVNGARORVM, CVM TVRCIS *AD MOHACZ*, VERISSIMA HISTORIA, REVERENDISS. PATRIS ET DOMINI, STEPHANI BRODERICI HVNGARI, EPISCOPI SIRMIEN. ET CANCELLARII, DIVI LODOVICI HVNGARIAE ET BOHEMIAE REGIS, QVI DIE XXIX MENSIS AVG. ANNO A CHRISTO NATO MDXXVI, SVAE VERO AETATIS XXIV, CVM VNIVERSO EXERCITV INTERIIT. Adjuncta atque annexa M. PYRSERII Siles. Epiſtola ad Ill. et Mag: Dominum ALEXIVM TVRZONEM, Comitem de Bethlen Falva, et Regni Hungariae Supremum Theſaurarium. IMPRESSVM CRACOVIAE PER HIERONYMVM VIETOREM. DIE XVIII MENSIS APRILIS. ANNO DOMINI M. D. XXVII. 4.

VIII.) DOCTISSIMI AC INTEGERRIMI VIRI, GEORGII SAVROMANI SILESII, I. V. DOCTORIS, CAESAREIQVE IN ROMANA CVRIA INTERNVNCII ET PROCVRATORIS, AD CHRISTIANOS PRINCIPES DE RELIGIONE CONCORDIAQVE COMMVNI *ORATIO*. Cum MATHIAE PYRSERII itidem Sileſii Gratulatoria Epiſtola, ad Reverendiſſimum in CHRISTO Patrem et Dominum,

D.

D. ANDREAM CRICIVM, Premiſlien. quondam, nunc autem creatum Plocen. Epiſcopum. CRACOVIAE IMPRIMEBAT HIERONYMVS VIETOR IDIBVS MAIIS: ANNO A PARTV VIRGINIS M. D. XXVII. 4.

LXXXVI.

IOANNES RAKWIC Lituanus, Vilnenſi in Academia, anno MDXCII, et MDXCIII, muſarum ſacra frequentabat. Ibique fruebatur ALBERTI Ducis RADIVILII, ſupremi Lituaniae Mareſchalci virtute, benignitateque. Quem, praematura morte, Patriae ademtum, vario carminum genere luxit, memoriaeque Civium ſempiternae commendavit. Sunt in manibus noſtris ſpecimina illa non inelegantia.

I.) ALCO, SIVE IN OBITVM ILLVSTRISS. S. R. I. PRINCIPIS, D. ALBERTI RADZIWIL DVCIS IN OLYKA ET NIESWIZ, SVPREMI M. D. LIT. MARESCHALCI. &c. &c. IOANNIS RAKWIC LITVANI ECLOGA. VILNÆ, IN OFFICINA ACADEMICA SOCIETATIS IESV, ANNO DOMINI MDXCIII, forma 4, ſeorſim excuſa. Eodemque adhuc anno repetita, in THRENODIA: quae, in funere Principis RADIVILII laudatiſſimi, Academiae totius nomine, forma eadem prodiit: p. 27 — 30.

II.) IOANNIS RAKWIC ODE DICOLOS DISTROPHOS. Qua funus Principis ALBERTI RADIVILLII, Lituaniae Mareſchalci ſupremi decoravit. Inſerta eſt THRENODIÆ commemoratae, p. 16 — 18.

III.) ELE-

III.) ELEGIA, IN EXEQVIIS ANNIVERSARIIS ILLVSTRISS. OLIM. SAC. ROM. IMP. PRINCIPIS ET DOMINI, D. ALBERTI RADZIWIL, DVCIS IN OLYKA ET NIESWIZ, SVPREMI M. D. LIT. MARESCHALCI. &c. &c. AVTORE IOANNE RAKWIC LITVANO. VILNÆ, IN OFFICINA ACADEMICA SOCIETATIS IESV, ANNO DOMINI MDXCIV, forma 4.

LXXXVII.

PETRVS RICINIVS, haud ſpernendus Poëta. Exſtat ipſius: AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM, DOMINVM SIGISMVNDVM AVGVSTVM SECVNDVM, SACRATISSIMI ET SERENISSIMI POLONIARVM REGIS, DOMINI SIGISMVNDI HVIVS NOMINIS PRIMI, FILIVM ET HÆREDEM: CATHOLICÆ PIETATIS INSTITVTIO. Elegiaco carmine. IN NOBILI ET REGIA VRBE CRACOVIA HIERONYMVS VIETOR EXCVDEBAT. KAL. AVG. ANNO CHRISTI PIISSIMI SALVATORIS M. D. XXVI. forma 8 maiori.

LXXXVIII.

AVGVSTINVS ROTVNDVS Polonus, vir graviſſimus, eruditiſſimusque, atque eloquentiſſimus: SIGISMVNDO SENIORE regnante: Cracoviae, in Curia Senatoria, primus cauſarum publicarum Procurator fuit. In litteratorum autem tunc Republi-

publica, CLEMENTIS IANICII, nobilissimi ac florentissimi Poëtae amicitia, familiaritateque intima, maxime innotuit. A IANICIO enim, in Poëmatibus suis, modis tenerrimis, dulcissimisque laudatus est. Relictumque a IANICIO EPITHALAMIVM: SIGISMVNDO AVGVSTO, IVNIORI REGI POLONIÆ, SCRIPTVM: ROTVNDVS ille. CRACOVIÆ. APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII. ANNO MDXLIII. forma 4, curavit industria ac diligentia maxima excudendum. Idque, Plocensium tum Episcopo, simulque Regni Poloniae Procancellario, SAMVELI MACIEIOVIO, litterarum virtutumque gloria celeberrimo: cui IANICIVS ipse fuerat in deliciis: tersa doctaque Epistola inscripsit et dedicavit.

ROTVNDVS ille, a SIGISMVNDO AVGVSTO Rege, Vrbis Vilnensis, Lituanicarum omnium principis, Praetura honoratus: alboque Secretariorum suorum insertus: ac denique Lituanorum Nobilium ordini adscriptus est. In comitiis anni MDLXIX, ROTVNDO huic locus, inter eos assignatus fuit: quibus correctio STATVTORVM ET IVRIVM MAGNI DVCATVS LITVANIÆ delegabatur. Officio tunc, amicitiaque, coniunctissimus omnium fuit PETRO ROYSIO, Vilnensis Ecclesiae Archipresbytero, et Lituani-

tuanicarum cauſarum, in Foro Palatino, primario Cognitori. Admiſſusque in Epiſcopi Vilnenſis, VALERIANI PROTASEVICII SVSKOWSCII, viri doctiſſimi atque ſanctiſſimi conſuetudinem, conſiliorumque ſocietatem: heterodoxorum auſis in Vrbe Vilna fortiter reſtitit. In *TABVLARIO ECCLESIÆ ROMANÆ* SÆCVLI DECIMI SEXTI, ab ERNESTO SALOMONE CYPRIANO, Gothanae Bibliothecae inclytiſſimae Praefecto, Francofurti et Lipſiae, anno MDCCXLIII, forma 4 publicato, exhibetur p. 444 — 447. AVGVSTINI ROTVNDI, Praetoris Vilnenſis, ad STANISLAVM HOSIVM, S. R. E. Cardinalem et Epiſcopum Varmienſem, Epiſtola Grodnae III Nonas Auguſti, Anno Domini MDLXVII, exarata: *in qua Auguſtanam Confeſſionem accuſat: variaque, religionis cauſa, inter Polonos geſta recenſet.* Iisdem fere temporibus, SIGISMVNDI AVGVSTI Regis iuſſu, Lituanae Gentis hiſtoriam peculiarem Latino ſermone ſcribere eſt aggreſſus. Quam, Rege exſtincto, perſequi noluit. Quidquid autem huius operis elaboravit, expolivitque, olim Neſviſii in Bibliotheca RADIVILIANA, patriis monumentis perquam opulenta, aſſervabatur. Tanta quidem ROTVNDI huiusce, apud SIGISMVNDVM AVGVSTVM Regem, fuit exiſtimatio atque auctoritas, ut

Rex ille moriturus, extremam voluntatem ſuam, ipſi demandaverit in tabulas referendam.

Sub STEPHANI I principatu, ROTVNDVS idem, MIELIESCII cognomen tulit. Editisque opuſculis duobus celebritatem maximam eſt aſſecutus. Inſcriptum unum eſt, ad hunc modum: EPISTOLA AVGVSTINI ROTVNDI MIELIESKI I. V. DOCTORIS, SECRETARII M. REGIÆ, ETC. Ad Illuſtriss: et Reuerendiss: Dominum, D. GEORGIVM RADIVILVM, Ducem Olycenſem, &c. D. G. Epiſcopum Vilnenſem. Qua cuidam Anonymo, Haereſim eidem Reuerendiss. perſuadenti reſpondet. VILNÆ, Typis et Impenſis Illuſtriss: Domini NICOLAI CHRISTOPHORI RADIVILI, Supr. M. D. L. Mareſchalci, &c. Anno Domini MDLXXXI. MARTINVS KAZIMIRIENSIS. forma 4. Alterius titulus eſt iſtiusmodi: DE DIGNITATE ORDINIS ECCLESIASTICI IN REGNO POLONIÆ. Autore AVGVSTINO ROTVNDO MIELIESIO, I. V. Doctore, Praetore Vilnenſi. Iuſſu et mandato Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini, D. Archiepiſcopi Gneſnenſis, &c. CRACOVIÆ IN OFFICINA LAZARI: ANNO DOMINI MDLXXXII. forma eadem. Poſterius ſcriptum, ductori ac ſignifero heterodoxorum illius temporis, ANDREÆ VOLANO, docto alioquin homini, natalibusque claro, et Lituaniae Proceribus admodum accepto, oppoſitum fuit. Repe-

ritur,

ritur, in Epiſtolis STANISLAI Cardinalis HOSII evulgatis, una: ordine quidem CCLX: ad ROTVNDVM noſtrum, data Romae XXII Aprilis, MDLXXVIII. Qua, praeſtita ab ipſo, atque a SVSKOWSCIO Antiſtite Vilnenſi, tunc adhuc vivo, in amovendis heterodoxis, opera praeclara digne extollitur.

LXXXIX.

PETRVS RVIZ DE MOROS, Latine ROYSIVS MAVREVS, Alcagnicenſis Aragonius. Domi educatione doctrinaque puerili, a SOBRARIA quodam, atque OLITO, eſt inſtitutus. Miſſus deinceps in Jlerdenſem Academiam, inter liberales diſciplinas, coepit iuri diligenter attendere. Pervectus autem Patavium, Athenas illas Jtalicas, ſummo auctore et doctore ROMVLO AMASÆO, oratoriae arti ſingularem dedit operam. Sed extremo Bononiam, veterrimam Muſarum, artiumque omnium, et diſciplinarum ſedem tranſlatus, animum totum appulit ad purioris iurisprudentiae ſtudium. PALVMque PARISIVM, et ANDREAM ALCIATVM, itemque AVGVSTINVM BEROIVM, clariſſimos atque eminentiſſimos iuris interpretes, avidiſſime audivit. Ibi in illuſtri Collegio Hiſpanico, ÆGIDII ALBORNOTII Cardinalis admirabili opera munificentiaque condito, cum do-

ctiſſimo politiſſimoque Hiſpanorum, ANTONIO AVGVSTINO, annos aliquot habitavit, et in amore mutuo vixit: reliquosque populares et ſodales ſuos, ſcientia iuris, et ſtudiis humanitatis ac litterarum, probe inſtruxit. Dum autem in patriam reverſuro, Gallorum tunc arma, vias omnes praecluderent: Gneſnenſis Archiepiſcopi, atque Epiſcopi Cracovienſis, totiusque Poloniae Primatis, PETRI GAMRATI vocatu, in hoc Regnum venit. Doctorumque, et eruditorum omnium, atque etiam Iuriſconſultorum Polonorum, mira quadam aſſenſione et approbatione, boni et aequi artem, Polonae iuventuti Cracoviae, per annos continuos novem, tradidit. Auditor eius STANISLAVS CARNCOVIVS fuit: qui ob ingenii et eloquii vim, iurisque et legum ſcientiam, a SIGISMVNDO AVGVSTO Rege, floreſcente aetate, magnus Poloniae Referendarius eſt factus, et deinde Eccleſiae Vladiſlavienſi Antiſtes datus: a STEPHANO autem BATHOREO, ad Archipraeſulis Gneſnenſis, Regnique Primatis locum elatus. Amicis uſus eſt ROYSIVS Polonis fere omnibus, qui ea tempeſtate, litterarum et doctrinae nomine, nobiles et inclyti exſtiterunt. Gaviſusque in primis STANISLAO HOSIO atque MARTINO CROMERO, STANISLAO item ORICHOVIO, ANDREA FRICIO MODREVIO,

IACO-

IACOBO PRILVSIO, BARTHOLOMÆO GROICIO, AVGVSTINO ROTVNDO, SIMONE MARICIO, IACOBO GORSCIO, ANDREA TRICESIO, IOANNEque TVROBINO. Praeterea magnopere delectatus, Regis Romanorum FERDINANDI I, ad SIGISMVNDVM I Regem Polonorum Oratore, IOANNE LANGO Silesio: quem, propter ingenii studiorumque similitudinem, die noctuque assiduissime frequentavit. Namque ROYSIVS, prout LANGVS ille, inter graviora studia negotiaque, mansuetioris Musae fuit mire cupidus. Factitandique carminis arte abunde pollens potensque, cum LANGO saepissime, inter pocula, et hilares iucundasque disceptationes, alternis, iisque ornatissimis atque optimis, lusit versiculis. Alterque, alteri, scriptiones suas poëticas, industria elaboratas, recitavit. Idem ROYSIVS, SIGISMVNDO quoque HERBERSTEINIO, Romanorum Regis, ad Regem Poloniae, primario Legato fuit perfamiliaris. Principibusque Poloniae viris, SAMVELI MACIEIOVIO Episcopo Cracoviensi et Regni Cancellario, IOANNIque TARNOVIO Cracoviensi Castellano Exercitusque Polonici Imperatori, gratus, et acceptus in modum amici, exstitit. Ab ipso SIGISMVNDO SENIORE Rege magni aestimatus est. Ab eodemque Principe ad cognoscendas altiores causas nonnunquam

adhibitus. Edita ſunt a ROYSIO, SIGISMVNDI Regis temporibus:

I.) DE APPARATV NVPTIARVM, OPTIMORVM MAXIMORVM, SIGISMVNDI SECVNDI AVGVSTI POLONIÆ REGIS ETC. ATQVE REGINÆ ELISABES, FERDINANDI ROMANORVM REGIS ETC. FILIÆ. DE ADVENTVQVE IPSIVS REGINÆ AD NVPTIAS, SPLENDIDISSIMOQVE REGIS OCCVRSV, CARMEN PROPERATVM Heroicum. Autore PETRO ROYZIO, Iurisconſulto Hiſpano, in Regia Vrbe Cracovia, publico Iuris Civilis Interprete. Optimae maximae ELISABE Poloniae Reginae &c. librum dicat autor. CRACOVIÆ APVD HIERONYMVM VIETOREM 1543. MENSE MAIO. 4.

II.) *CARMEN FVNEBRE* Heroicum PETRI ROYZII MAVREI HISPANI IVRISCONSVLTI, IN OBITV ILLVSTRIS PETRI GAMRATI, PRIMÆ SARMATICÆ SEDIS EPISCOPI. Editum ante funus M. D. XLV. Menſe Septembri. EXCVSVM CRACOVIÆ APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII. 4.

III.) AD SACROSANCTVM SAMVELEM, EPISCOPVM PLOCENSEM, CRACOVIENSEM VERO NVNC IVRE ET MERITO DESIGNATVM, PETRI ROYZII MAVREI IVRISCONSVLTI *CARMEN* Heroicum. EXCVSVM CRACOVIÆ APVD HIERONYMVM VIETOREM. ANNO M.D.XLV. MENSE OCTOBRI. 4.

IV.) AD VIRVM ILLVSTREM, SAMVELEM, EPISCOPVM CRACOVIENSIVM, ET SVPREMVM IN

POLO-

POLONIA CANCELLARIVM: PETRI ROYZII MAVREI HISPANI CELTIBERI IVRISCONSVLTI, CARMEN Heroicum DE SANCTO PONTIFICE CÆSO, SIVE STANISLAVS. 4.

Divinum hoc poëma primum evulgatum eſt, ſine Typographi, locique, et temporis mentione: deinde, cum SIMONIS SIMONIDÆ DIVO STANISLAO, OCTONARIIS LXXXIV CELEBRATO. CRACOVIÆ, IN OFFICINA LAZARI, PER BASILIVM SKALSKI, ANNO DOMINI 1604, recuſum 4.

Curante Archiepiſcopo Ancyrano, Apoſtolicoque in utraque Polonia Nuncio Ordinario, ANGELO MARIA Comite DVRINI, Poëtarum noſtra aetate maximo: menſe Maio anni MDCCLXXII, Varſaviae è Typographeo MIZLERIANO, Polonorum PINDARI, hoc eſt, SIMONIS SIMONIDÆ Leopolitani, Opera Poëtica omnia, quae tunc in ZALVSCIANA Bibliotheca publica ſunt reperta, forma 4 maiori, in lucem exierunt. Quibus, SIMONIDÆ atque ROYZII carmina, de Divo illo STANISLAO, Cracovienſium Pontifice ac Martyre, p. 251 — 291, conjunctim ſunt inſerta.

v.) INCLYTO QVIRITIVM REGI FERDINANDO, IN DIVÆ CONIVGIS ANNÆ OBITV, PETRI ROYZII MAVREI HISPANI CELTIBERI IVRISCONSVLTI *EPITAPHIA*. Elegis compoſita. EXCVSA CRACOVIÆ ANNO POST CHRISTVM NATVM M. D. XLVII. MENSE FEBRVARIO, DIEBVS LIBERALIBVS. 4.

Hic ROYSIVS Sacerdos factus eſt ſub SIGISMVNDI AVGVSTI imperio. Vilnenſisque mox Archipresbyter, et deinceps Cathedralis Samogitiae Canonicus,

neque ita multo poſt Protonotarius Apoſtolicus, atque Comes Palatinus renunciatus. A Rege ſubinde, Lituanicarum cauſarum, in quibus provocatio ad Maieſtatem Regiam eſt, Auditor creatus: inque intimum conſiliorum aſſumtus. Iſte ipſe ROYSIVS, doctiſſimo atque ſapientiſſimo Epiſcopo Vladiſlavienſi, STANISLAO CARNCOVIO: diſciplinae ſuae quondam alumno: in componendis Gedanenſium motibus, ſtatuque Vrbis illius ordinando, Regis atque Senatus auctoritate, ſocius et conſiliarius additus eſt. Mortuo Cracovienſi Praeſule atque Regni Cancellario, SAMVELE MACIEIOVIO, eius ſucceſſorem PHILIPPVM PADNIEVIVM, Maecenatem parem eſt expertus. Gneſnenſemque Archiepiſcopum ac Regni Poloniae Primatem, IOANNEM PREREMBIVM, benignum in ſe, atque liberalem cognovit. Omnium autem ſibi benevolentiſſimum, atque amiciſſimum, temporibus illis habuit, IOANNEM DOMANOVIVM, Samogitarum Antiſtitem. Prodierunt ſub SIGISMVNDO AVGVSTO:

VI.) HISTORIA FVNEBRIS, IN OBITV DIVI SIGISMVNDI, SARMATIARVM REGIS, ET AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM FILIVM ADMONITIO. Heroicum Poëma. AVTORE PETRO ROYZIO MAVREO HISPANO CELTIBERO. CRACOVIÆ, APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII. ANNO POST CHRISTVM NATVM M.D.XLVIII. KAL. AVGVSTIS. 4.

VII.) PE-

VII.) PETRI ROYZII MAVREI IVRISCONSVLTI HISPANI NÆNIA. Heroico carmine cantata. In Funere Viri Illustris, SAMVELIS MACIEIOVII, Cracoviensium Episcopi Atque Summi In Polonia Cancellarii. CRACOVIÆ PER LAZARVM ANDREÆ. M.D.L. MENSE NOVEMBRI. 4. Adjecta sunt: in obitum eiusdem Episcopi: IOANNIS LANGI Iurisconsulti Epigrammata Graecè et Latinè.

VIII.) AD INCLYTVM ATQVE POTENTISSIMVM SIGISMVNDVM AVGVSTVM SARMATIÆ REGEM: IN DIVÆ CONIVGIS BARBARÆ OBITV: Heroicum *CARMEN CONSOLATORIVM* PETRI ROYZII MAVREI HISPANI IVRISCONSVLTI. CRACOVIÆ APVD HÆREDES MARCI SCHARFFENBERGER. M.D.LIII. MENSE MARTIO. 4. Additum est: Eiusdem ROYZII, De Triplici Vita, Caelibe, Conjugali, et Fornicaria, Carmen Iambeum.

IX.) AD PROCERES POLONOS: *DE MATRIMONIO REGIO:* PETRI ROYZII MAVREI HISPANI IVRISCONSVLTI *CARMEN* Heroicum. CRACOVIÆ APVD HÆREDES MARCI SCHARFFENBERGER. M.D.LIII. MENSE MARTIO. 4.

X.) DE APPARATV NVPTIARVM, INCLYTI ET POTENTISSIMI SIGISMVNDI AVGVSTI, POLONORVM REGIS: ET CATHARINÆ, CÆSARIS FERDINANDI FILIÆ: Heroicum *CARMEN EXTEMPORANEVM* PETRI ROYZII MAVREI HISPANI IVRISCONSVLTI. EXCVSVM CRACOVIÆ APVD HÆREDES MARCI

SCHARFFENBERGER. ANNO HVMANÆ SALVTIS M. D. LIII. MENSE AVGVSTO. 4.

XI.) PETRI ROYZII MAVREI *CHILIASTICON*. Heroicis verſibus conditum. CRACOVIÆ LAZARVS ANDREÆ EXCVSSIT. M. D. LVII. MENSE APRILI. 4. Eleganti illo, eruditoque poëmate, celebrantur Poloniae Heroës, Maecenatesque, atque Scriptores, illo tempore praeluſtres.

XII.) PETRI ROYZII MAVREI *CARMEN FVNEBRE*, Genere heroico IN OBITV ILLVSTRISSIMI IOANNIS COMITIS TARNOVII. AD ILLVSTRISSIMVM IOANNEM CHRISTOPHORVM, FILIVM, COMITEM TARNOVIVM. IMPRESSVM CRACOVIÆ PER LAZARVM ANDREÆ. M. D. LXI. 4. Attexta ſunt carmine vario: Eiusdem ROYZII *Epitaphia*, TARNOVII Herois tumulo ſuperaddenda.

XIII.) AD NICOLAVM RADIVILONEM, VIRVM ILLVSTREM, *EPITHALAMIVM*. Verſibus heroicis contextum. PETRO ROYSIO MAVREO HISPANO, EXTEMPORALI AVTORE. Omiſſo anni, locique, atque Typographi indicio. forma 4. Praemiſſa eſt ROYZII ipſius Elegia, ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM Regem, qui NICOLAI iſtius RADIVILII, atque ELISABETHÆ SZYDLOVIECIÆ, nuptiarum ſollemnibus affuit.

XIV.) PETRI ROYZII MAVREI Hiſpani *Epigrammata duo*, in Legationes D. SIGISMVNDI Liberi Baronis ab HERBERSTEIN: proprio HERBERSTEINII COMMENTARIOLO, DE ACTIONIBVS SVIS, ſubjuncta.

XV.) PE-

XV.) PETRI ROYZII MAVREI HISPANI EPIGRAMMATA: ANDREÆ FRICII MODREVII, BARTHOLOMÆI GROICII, IACOBI GORSCII, IOANNIS MACINII, aliorumque Polonorum, eruditione ac ſapientia tum clarorum atque illuſtrium, operibus praefixa.

XVI.) DECISIONES PETRI ROYZII MAVREI ALCAGNICEN. REGII IVRECONSVLTI. DE REBVS IN SACRO AVDITORIO LITVANICO EX APPELLATIONE IVDICATIS. AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM POLONIÆ REGEM, PRINCIPEM OPTIMVM MAXIMVM. Opus lectu digniſſimum atque cognitu tam iis, qui iuridicundo praeſunt, quam qui veram philoſophiam, hoc eſt, artem boni et aequi vel tradunt, vel addiſcunt: ob multiplicemque earum rerum tractationem, exactamque ac diffuſam definitionem, quae in ſcholam et forum incidere cotidie ſolent, iuriſprudentib. omnib. apprimè neceſſarium. Cum Indice verborum et rerum locupletiſſimo. Deciſionum argumenta ſequens pagella continet. Cautum eſt regiis Codicillis, ne quis in Polonia poſt auctoris editionem, intra quinquennium, aemulationis ergô librum hunc excudat, excuſumve venundet: venumve exponat. Qui ſecus faxit: is, libris omnib. amiſſis, auctorisque factis, fiſco pondo decem argenti puri puti dependere, damnas eſto. CRACOVIÆ excudebat MATTHÆVS SIEBENEYCHER. Anno, à CHRISTO Deo Servatore noſtro nato, tertio et ſexageſimo ſupra Milleſimum et quingenteſimum. Menſe Aprili. 4.

Elegantia litterarum, raritateque exemplarium, haec Editio reliquas antecellit. Emendatius autem, nec nitidè minus ea eſt exſcripta, quae anno Salutis humanae MDLXX, Francofurti ad Moenum, MAR-

MARTINI LECHLERI opera, HIERONYMI autem FEYERABEND impenſis, una cum OCTAVIANI CACHERANI DECISIONIBVS SACRI SENATVS PEDEMONTANI, folii magnitudine prodiit. Non comta quidem, ſed correcta ſatis Editio illa eſt, quam Iuriſconſultus Mantuanus, LEONARDVS A LEGE Venetiis, apud BARTHOLOMÆVM RVBINVM, MDLXXII, forma 4 vulgavit.

ROYSIVS, opere illo, DECISIONES LITVANICAS QVINQVE, eruditiſſimè atque copioſiſſimè, ornatiſſimèque factas, poſteritati tradidit. I.) De teſtamento eius, qui mortem ſibi conſcivit. II.) De uſitata tabellionum clauſula, qua teſtator aegro corpore, ſanaque eſſe mente ſcribi ſolet. III.) De conatu et inchoatis delictis. IV.) De legitimis excuſationibus eorum, qui in ius vocati non veniunt. V.) De foenore ſive uſuris.

XVII.) Exſtat, in muſeo ZALVSCIORVM publico, codex non inelegans, forma 4, manu exaratus, ordine quidem MDCCCCXCVIII, complectens: CONSTITVTIONES ECCLESIÆ CATHEDRALIS MEDNICENSIS, SEV SAMOGITIÆ. Sub SIGISMVNDI AVGVSTI principatu: PIO IIII Pontifice Maximo ad Romanae, IOANNE PREREMBIO ad Gneſnenſis, IOANNE autem DOMANOVIO ad huius Mednicenſis, ſeu Samogitiae Eccleſiae gubernacula ſedente: anno, poſt CHRISTVM Deum Servatorem noſtrum natum, primo et ſexageſimo ſupra Milleſimum et quingenteſimum, Menſe Septembri, conſcriptas. Autore Reverendo Domino PETRO ROYZIO MAVREO, Celtibero viro Patricio, Regio Iuriſconſulto atque Conſiliario: eodemque Protonotario Apoſtolico atque Comite Palatino, huiusque Cathedralis Eccleſiae Mednicenſis Canonico.

Vive-

Vivebat adhuc ROYSIVS ille, cum Princeps Transylvanorum, STEPHANVS BATHOREVS, ANNÆ IAGELLONIÆ, SIGISMVNDI AVGVSTI Regis sororis coniugio, Poloniarumque Regno potiretur. Connexus tunc temporis erat Poëtae principi, IOANNI COCHANOVIO, amore singulari. A quo honoratus est Epigrammatis pulcherrimis. ROYSIVS ipse, annis senilibus, praeter Epigrammata illa: quibus MATHIÆ STRIYROWSCII, Lituanicarum rerum nobilissimi auctoris, IOANNISque RADVANI, Poëtae inter Lituanos non contemnendi, opera edita est comitatus: in medium nihil attulit.

Acrem fuisse disputatorem ROYSIVM, ut ne à clamore quidem, gentis suae more, temperaverit; vultu tamen deformi, atque oculis prominentibus, ideòque hebetioris aspectus, ut vitreis perpetùo perspicillis fuerit usus: ANDREAS SCHOTTVS Belga in HISPANIÆ BIBLIOTHECÆ Tomo II. p. 322. retulit. Isque Phalaecium carmen molle et flebile recensuit, quo ANTONIVS AVGVSTINVS, ROYSIVM Poetam suavem, doctisque omnibus carum dilectumque, a patriis penatibus divulsum, conquestus est.

NICOLAVS autem ANTONIVS, Hispanus ipse natione, in praestantissimi operis sui, quod BIBLIOTHECA HISPANICA inscribitur, Volumine II. p. 188. Epistolam protulit iucun-

cundam, Bononia ab ANTONIO AVGVSTINO, ad ROYSIVM ſuum, apud Polonos commorantem, miſſam. Qua fortunam ipſi in Polonia proſperam, magna cum voluptate, eſt gratulatus.

XC.

GEORGIVS SABINVS Brandeburgenſis, elegantiſſimi dulciſſimique ingenii Poëta, ab ineunte aetate, Gentem Polonicam ſummo et amore et honore proſecutus eſt. Patavii enim, celeberrimo tunc totius orbis terrarum Gymnaſio, cum STANISLAO HOSIO, ſanctiſſimo doctiſſimoque Polonorum, arctiſſimam pepigit amicitiam. Quem deinde, in patriam ſuam revertentem, Cracoviam gnaviter eſt inſecutus. Ibique à Gneſnenſium tum Archipraeſule, et Regni Polonici Primate, ANDREA CRICIO, poëticis voluptatibus deditiſſimo, in ſinum intimum receptus. Parique amicitia ac caritate fotus, ab ANDREA GORCA Poſnanienſi Caſtellano totiusque Poloniae Maioris Praefecto, STANISLAO quoque LASCIO Caſtellano tunc Premetenſi, et STANISLAO DZIADVSCIO Praefecto Coninenſi, aliisque viris primariis, poëtarum nomen et ſacra muſarum colentibus. Poſtquam autem Regiomontanae Academiae Rector creatus eſt,

vicino

vicino Praeſule, IOANNE DANTISCO, Varmiae Epiſcopo, Poëtaque ipſo eximio, coepit uti familiariſſime. Ab eoque Heilsbergam, ſedem pontificiam, frequenter admodum invitatus, et magnifice tractatus, et multis magnisque muneribus cumulatus eſt. Quo morte exſtincto, cum amico veteri, STANISLAO illo HOSIO, ad eundem Pontificatum evecto, ſimili vixit familiaritate et conſuetudine. Maximeque et tunc verſatus eſt cum EVSTATHIO A KNOBELSDORFF, Canonico Varmienſi, eleganti Poëta, atque amabili. Exſtant huius amicitiae, cum Polonis religioſiſſime et diligentiſſime cultae, nobiliſſima iſta monumenta et pignora:

I.) POEMATVM LIBRI III. ELEGIA IIII. AD ANDREAM CRITIVM ARCHIEPISCOPVM GNESNENSEM. p. 79. ſq.

II.) ——— LIBRI V, ELEGIA IIII. IN PEREGRINATIONEM STANISLAI A LASCO. p. 150. — 153.

III.) ——— LIBRI VI, ELEGIA X. AD EVSTATHIVM A KNOBELSDORFF CANONICVM VARMIENSEM, POETAM CLARISSIMVM. p. 183.

IV.) ——— LIBRI VI, ELEGIA XII. AD IOANNEM BOGVM, REGIS POLONIÆ AVLICVM. p. 187. ſq.

V.) ——— LIBRI VI, ELEGIA XIIII. AD EPISCOPVM VARMIENSEM, STANISLAVM HOSIVM. p. 189. ſq.

VI.) POE-

VI.) POEMATVM LIBRI VI, ELEGIA XVI. IN ANNVLVM INCLYTÆ CONIVGIS, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS NICOLAI RADIVILII, DVCIS OLYCÆ ET PALATINI VILNENSIS, SIBI MVNERI MISSVM. p. 195. ſq.

VII.) DE NVPTIIS INCLYTI REGIS POLONIÆ SIGISMVNDI AVGVSTI, ET ELISSÆ CÆSARIS FERDINANDI FILIÆ, CARMEN Heroicum, GEORGII SABINI, CONTINENS PRÆCIPVAS OMNIVM POLONICORVM REGVM HISTORIAS. IMPRESSVM MENSE APRILI, ANNO M. D. XLIII. FRANCOFORDIÆ AD ODERAM. Recuſum CRACOVIÆ PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO SALVTIS NOSTRÆ M. D. XLIII. MENSE IVNIO. forma 4. Inter POEMATA junctim edita eſt, poſt CÆSARES GERMANICOS collocatum eſt, p. 237 — 256.

Praemiſſa huic carmini eſt, in Editione Francofordiana atque Cracovienſi, Epiſtola compoſitiſſima, ad Magnificum Virum, STANISLAVM DZIADVSCIVM, Praefectum Coninenſem, publicorumque in Polonia Maiori vectigalium Adminiſtratorem. Cui, inter EPISTOLAS SABINI ſelectiores, POEMATVM ſuorum Editioni additas, p. 457 — 463, locus datus eſt.

VIII.) ECLOGA GEORGII SABINI DE GALLO AD TICINVM CAPTO, SCRIPTA AD STANISLAVM A LASCO POLONIÆ BARONEM. Adjecta eſt Heroico CARMINI DE NVPTIIS POLONICIS, in EDITIONE Francofordiana. Interque POEMATA, quae inſimul in lucem publicam exierunt, loco eodem poſita, p. 256 — 260. In Cracovienſi autem EDITIONE fuit omiſſa.

IX.) AD STANISLAVM HOSIVM, EPISCOPVM VARMIENSEM, *PROSOPOPOE-*

IA

IA POEMATVM GEORGII SABINI. Inſerta EPIGRAMMATVM LIBRO, inter POEMATA, quae conjunctim publicata ſunt. p. 287. ſq.

x.) GEORGII SABINI, AD ALEXANDRVM SVCHTENVM GEDANENSEM, *ELEGIDION.* Additum fuit primùm SVCHTENI CARMINI, cuius et argumentum, et titulus eſt, VANDALVS. Deinde EPIGRAMMATVM LIBRO illatum. p. 295. ſq.

xi.) GEORGII SABINI, AD IOANNEM DANTISCVM, EPISCOPVM VARMIENSEM, *HENDECASYLLABI.* Ipſiusque DANTISCI Epiſcopi Reſponſa.

Inter SABINI POEMATA, conjunctim in vulgus prolata, locum ferè extremum occupant: ſcilicet p. 307 — 314. porrò p. 316 — 318. ac denique p. 329 — 332. Repetiit nuperrimè in DANTISCI POEMATIBVS, è Bibliotheca ZALVSCIANA foràs datis, p. 149 — 156. et p. 329 — 338. praeclarus noſtro tempore, et Poëta, et Hiſtoricus, IOANNES GOTTLOB BOEHMIVS.

xii.) GEORGII SABINI, AD IOANNEM PREREMBIVM, POLONIÆ TVNC PROCANCELLARIVM, *HENDECASYLLABI.* Editi, in SABINI POEMATIBVS, p. 339. ſq.

XCI.

GREGORIVS DE SHAMOTVLI, Cracovienſi in Academia, ante PETRI ROYSII Hiſpani adventum, ius ſacrum atque civile, frequentia auditorum maxima, profitebatur. Natales ille ducebat Samotulio, Polo-

Poloniae Maioris oppido haud ignobili. Eratque, ab eo, cognomen ipſi inditum. A PETRO TOMICIO, Poſnanienſis tum Eccleſiae Antiſtite atque Cracovienſis Pontificatus Coadjutore: eodemque Regni Poloniae Procancellario: Poſnanienſis Canonici Cathedralis honorem obtinuerat. Quem, merito IOANNIS LATALSCII Praeſulis, TOMICIO in Epiſcopatum Poſnanienſem ſuccedentis, favore, cum dignitate Archidiaconi commutabat. Quantum hicce SAMOTVLIVS, creatus Cathedralis Archidiaconus Poſnanienſis: CHRISTOPHORVSque HEGENDORFFINVS, Rhetor publicus, in Cathedrali ibidem Gymnaſio, a LATALSCIO Epiſcopo conſtitutus: odio flagraverint mutuo, ſcriptiones illae nos docent, quibus alter, famam alterius laceravit. Cracoviae GEORGIVS LIBANVS, cum primus omnium, Graecas ibi litteras docere coepiſſet, multa a SAMOTVLIO illo paſſus eſt indigniſſime. Reperiuntur in ZALVSCIORVM muſeo communi:

1.) ENCHIRIDION IMPEDIMENTORVM, QVÆ IVXTA CANONICAS CONSTITVTIONES IN MATRIMONIIS CONTINGVNT, ad Iudicum et Confeſſariorum faciliorem cognitionem, autore GREGORIO DE SHAMOTVLI, Canonum Doctore et Ordinario Lectore, Eccleſiaeque Cracovienſis Poenitentiario, non minus lucide quam ſuccincte congeſtorum et deciſorum. IMPRES-

PRESSVM. CRACOVIÆ PER FLORIANVM VNGLERIVM. E DIRECTO MINORIS COLLEGII. ANNO M. D. XXIX. 8.

II.) ORATIO AD AVGVSTISSIMVM PRINCIPEM, SIGISMVNDVM EIVS NOMINIS PRIMVM, REGEM POLONIÆ GLORIOSISSIMVM, DE SVO FELICI REDITV, DEQVE DEXTRA VALETVDINE. Nomine totius Generalis Studii Cracovienſis, Gratulatoria. Dicta in Caſtro Cracovienſi in ampla audientia Regis Sereniſſimi, per GREGORIVM SHAMOTVLANVM, Decretorum Doctorem, praefati Studii Generalis Collegam. Anno Domini M. D. XXX. 24 Ianuarii. IMPRESSVM PER FLORIANVM VNGLERIVM. 8.

III.) ANACEPHALAEOSIS, Floſculos monogrammos ex Progymnaſmatis CHRISTOPHORI HEGENDORFFINI ſelectos complectens. Autore GREGORIO SHAMOTVLANO, Doctore Iurium et Archidiacono Poſnanienſi. CRACOVIÆ ANNO CHRISTI NATI M. D. XXXV. ſine Typographi nota. 8.

IV.) PROCESSVS IVRIS BREVIOR IOANNIS ANDREÆ. Per GREGORIVM SHAMOTVLANVM, Iuris Pontificii Doctorem atque Archidiaconum Poſnanienſem, pro Tyrunculis reſolutus, cum Practica exemplari in Regno Poloniae circa ſtrepitum fori Spiritualis obſervari ſolita, tertiò reviſus et auctus. CRACOVIÆ EX OFFICINA VNGLERIANA, ANNO DOMINI M. D. XXXVII. 8.

Prima Editio, ab VNGLERIO, anno MDXXIV, eſt exſcripta. Altera, anno MDXXXI, ab eodem Typographo, promulgata.

v.) DE CONTRACTIBVS. DEQVE VSVRIS LICITIS ET ILLICITIS, TRACTATVS COMPENDIOSVS. In ufum Tyrunculorum collectus et difpofitus. Per GREGORIVM SHAMOTVLANVM, Iurium Doctorem et Ordinarium in Cracovienfi Gymnafio Generali Interpretem: Pofnanienfis Ecclefiae Cathedralis Archidiaconum. CRACOVIAE HIERONYMVS VIETOR REGIÆ CANCELLARIÆ CHALCOGRAPHVS, EXCVDEBAT. ANNO A CHRISTO NATO M. D. XXXIX. VIII KAL. FEBRVARIAS. 8.

vi.) M. CONRADI DE KALW, AVCTORIS NON OBSCVRI, TRACTATVS DE EMPTIONE ET VENDITIONE. CVM QVÆSTIONE, DE CONTRACTV EMPTIONIS DE RETRO VENDENDO ALIAS WIEDERKOFF. Hoc turbulentiffimo faeculo perneceffarius. Ad ufum inclytae Nationis Polonae accommodatus. Per GREGORIVM DE SHAMOTVL. Iurium Doctorem et Interpretem Ordinarium: Cathedralem Archidiaconum Pofnanienfem. EXCVSVM CRACOVIÆ PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO DOMINI M. D. XLI. 8.

XCII.

MATTHÆVS SHAMOTVLIENSIS, cognomentum illud, a patrio eodem oppido, accepit. Cracoviae publica mercede profeffus eft philofophicas atque mathematicas difciplinas. Coluit ibi amicitiam, cum GREGORIO SAMOTVLIO cive fuo, PAVLOque

LOQUE CROSNENSI Roxolano: cum LEONARDO COXO Anglo: cum RVDOLPHO AGRICOLA atque VALENTINO ECKIO Rhaetis: cum MATTHÆO quoque HOLSTEINIO atque MATHIA PYRSERIO Silesiis: compluribusque aliis viris, qui tunc ingenii atque eruditionis opinione praecelluerunt. Fuitque in familiaribus, summi Musarum amatoris cultorisque, PETRI TOMICII, Posnaniensis eo tempore Episcopi, Regnique Poloniae Procancellarii. Est, in ZALVSCIANA Bibliotheca publica: IOANNIS DE SACROBOSCO, ASTRONOMI CELEBERRIMI, SPHÆRICVM OPVSCVLVM. Cum lucida et familiari expositione, per MATTHÆVM SHAMOTVLIEN. artium Magistrum, in Studio almae universitatis Cracovieñ. collecta. CRACOVIÆ APVD FLORIANVM IMPENSIS IOANNIS HALLER. ANNO M. D. XXII. 4. Cui, ad divinissimum illum Pontificem atque Maecenatem, sequens Epistola est praetexta.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI
AC DOMINO, DOMINO PETRO TOMICIO EPISCOPO POSNANIENSI,
AC VICECANCELLARIO REGNI POLONIÆ VIGILANTISSIMO
MATTHÆVS SHAMOTVLIENSIS
FELICITATEM.

Virtus tua genuina, Reuerendissime Praesul, omnes omnium gentium, et ordinum homines, ut te pariter colant, honorent, admirentur, allicit. Est

enim, ſi CICERONI credimus, ita natura comparatum, ut propter virtutem et probitatem, etiam eos, quos nunquam vidimus, diligamus. Accedit virtuti, ingenuarum diſciplinarum, et totius Encyclopaediae abſoluta cognitio: quae, ut criſtas aliquibus erigit, (ſcientia enim, referente doctore gentium, inflat) ita te mirè humanum, omnibus facilem, et humilem praeſtitit: denique ut quanto ſublimior exiſtis, tanto te geras ſubmiſſiùs, effecit, verèque Dei Praeſulem agas. Quare tanto alumno, alma mater noſtra, academia Cracouienſis, mirè ſibi placet et laetatur, eo quod olim in ea primis pueritiae ſtipendiis merueris, ac in virum abſolutae cùm ſcientiae, tum virtutis euaſeris, quodque magiſterii inſignibus ſuſceptis, ad doctoratus apicem euectus, ad pontificiam dignitatem ab omnibus expetitus, et ſublimatus es. In qua, tanta verſaris induſtria, ut tua inſigni prudentia, hoc inclytum regnum feliciter adminiſtretur, et veluti publicum oraculum exiſtimeris, ad quod in dubiis rebus, huius terrae habitatores confugiant. Et quum omnibus facillimus ad te ſit acceſſus, promptiſſimumque in te ſubſidium: ſingulari tamen affectu auguſtam univerſitatem noſtram proſequeris, eius negocia apud regiam maieſtatem, et ſapienter, et fideliter tractando, ita ut eam tuo patrocinio nobis florentiſſimam hactenus conſeruaueris. Quam tuam humanitatem non ſolum collegium et congregatio noſtra experitur, verum ſinguli huius liberalium diſciplinarum profeſſores à te ſplendidiſſimè adornantur, quibus nunquam ſubſidia et operam tuam denegas: id quod in multis aliis, tum in me omnium minimo, ſaepiculè expertus, et honeſtiſſimis à te beneficiis decoratus ſum. Idcircò quoniam officii meminiſſe debet is, in

in quem collatum eſt, ne ingratitudinis vitio obnoxius iure cenſeri poſſim: praeſens hoc opuſculum, noſtris ſcholiis et enarrationibus, praeterea appendicibus illuſtratum, ac ſplendidius, et luculentius (ni in propriis caecutientem amor facit) redditum, tuae Reuerendiſſimae Paternitati dedico, ac nominatim inſcribo, et ut pariter libellum, ac offerentem in tuum patrocinium recipere digneris, humiliter peto. Et ſi quid in eo interpretando (ut humanum eſt) hallucinatus, et lapſus ſum, obelis confodito. Nam ſi HORATIO bonus quandoque HOMERVS dormitat, et praeſtantiſſimi quique viri pudendis erroribus interdum inuoluti ſunt, non ego me extra ingenii aleam poſitum putabo: ſed libentiſſimè tuo, et tui ſimilium ſubmitto iudicio, melius conſulentibus benevolè ceſſurus, imo gratiam acturus. At ne ſim longior, me Reuerendiſſimae Paternitati tuae commendo, ad cuius nutum me ſemper paratiſſimum futurum polliceor. Valeat Eximia tua Praeſtantia in annos NESTOREOS. Anno, ab orbe redempto, ſupra ſeſquimilleſimum vigeſimo ſecundo.

Fuere in huius SAMOTVLII diſciplina lectiſſimi clariſſimique iuvenes: inque his SAMVEL MACIEIOVIVS, magni illius TOMICII ſtudioſiſſimus et familiariſſimus, honorumque eius, atque officiorum ſucceſſor.

XCIII.

VENCESLAVS SHAMOTVLINVS, e loco natali illo ſic nominatus, Lituanici Exercitus Imperatori, HIERONYMO CHOD-

KIEVICIO, civilibus aeque, ac militaribus ſtudiis claro, fuit ab epiſtolis. Sunt ab eo in lucem haec edita:

I.) IN NVPTIIS SERENISS. ET POTENTISS. PRINCIPIS, DOMINI IOANNIS, HVNGARIÆ REGIS: ET SERENISS. VIRGINIS ISABELLÆ, SERENISS. ET INVICTISS. PRINCIPIS, DOMINI SIGISMVNDI PRIMI, POLONIÆ REGIS FILIÆ, POEMA GRATVLATORIVM, verſibus heroicis conditum. AVTORE VENCESLAO SHAMOTVL. CRACOVIÆ EXCVSVM IN OFFICINA VNGLERIANA. ANNO POST CHRISTVM NATVM M. D. XXXIX. DIE XXVI MENSIS IANVARII. 4.

II.) IN NATIVITATE ILLVSTRISSIMI DOMINI IOANNIS SIGISMVNDI, PRINCIPIS HVNGARIÆ ET TRANSSYLVANIÆ, MARCHIONIS QVOQVE MORAVIÆ AC LVSACIÆ, ET DVCIS VTRIVSQVE SLESIÆ: FILII SERENISSIMORVM PRINCIPVM, D. IOANNIS REGIS, ET D. ISABELLÆ REGINÆ HVNGARIÆ. POEMA GRATVLATORIVM, genere heroico. AVTORE VENCESLAO DE SHAMOTVL. CRACOVIÆ EXCVDEBAT HIERONYMVS VIETOR IIII KAL. AVG. ANNO A NATALI DOMINICO M. D. XL. 4.

III.) IN NVPTIIS SERENISSIMI POLONIÆ REGIS, MAGNIQVE LITVANIÆ DVCIS, SIGISMVNDI SECVNDI AVGVSTI: ET SERENISSIMÆ VIRGINIS ELIZABETHÆ, GLORIOSISS. ET INVICTISS. PRINCIPIS, FERDINANDI, ROM. HVNG. BOHEM. ETC. REGIS FILIÆ. POEMA GRATVLATORIVM, Hexametris compoſitum. AVTO-

RE VENCESLAO SHAMOTVLINO. CRACOVIÆ EXCVSVM APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII PRIDIE NONAS MAII. ANNO DOMINI M. D. XLIII. 4.

IV.) IN FVNERE SERENISS. PRINCIPIS ET DOMINÆ, D. ELIZABETHÆ, SERENISS. ROM. HVNG. BOHEM. ETC. REGIS FILIÆ: POTENTISS. AVTEM, AC INVICTISS. PRINCIPIS ET DOMINI, D. SIGISMVNDI II AVGVSTI, DEI GRATIA REGIS POLONIÆ, ET MAGNI DVCIS LITVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆQVE ETC. CONIVGIS MVLTO AMANTISSIMÆ. CARMEN LVGVBRE, PER VENCESLAVM SHAMOTVLINVM, Elegis CONSCRIPTVM VII DIE AVGVSTI. ANNO M. D. XLV. CRACOVIAE APVD VIDVAM FLORIANI VNGLERII IMPRESSVM. 4.

XCIV.

FRANCISCVS STANCARVS Mantuanus Italus, patria ſua pulſus, non multo ante SIGISMVNDI SENIORIS Regis obitum, in Poloniam venit. Ibi, a primariis in Republica viris, hoſpitii iure dignus eſt iudicatus, et ob inſignem doctrinam, atque prudentiam, modeſtiamque morum, facile in gratiam amicitiamque receptus. Propterque linguae Hebraicae peritiam, ab ipſo SAMVELE MACIEIOVIO, Vrbis Cracoviae tunc Epiſcopo, Regnique Poloniae atque Academiae Cracovienſis Cancellario, libenter vi-

ſus, et donis opulentis honoratus. Salario annuo, ab eodem ſuſtentatus, Polonos iuvenes multos et maxime nobiles, Hebraicis litteris imbuit atque erudivit. Quorum magno et communi commodo, GRAMMATICAM INSTITVTIONEM LINGVAE HEBRAEAE: quam Argentorati primum, poſteaque Venetiis, et deinceps Baſileae, forma 8, exire in lucem iuſſerat: IN REGIA POLONIAE CRACOVIA, maximi illius Antiſtitis et Maecenatis ſumtu, APVD IOANNEM HAELICZ. ANNO AB INCARNATI VERBI MYSTERIO MDXLVIII. MENSIS FEBRVARII DIE XXI. eadem forma, publicavit. Sed inſequenti tempore, idem STANCARVS, ſuſcitatis ARII Haereſiarchae opinionibus peſtiferis, deterioribusque ſuis admiſtis, Poloniam totam infeſtavit. Qua de re, loco ſuo, copioſius exponemus.

XCV.

GREGORIVS STAVISINIVS, liberalium artium Magiſter: inclytique Studii Cracovienſis Collega: tenerrima amicitia complexus eſt MICHAELEM COCCINIVM Tubingenſem, Romanae Imperatoriae ad Regem Polonorum Legationis Secretarium. Eumque ornavit Elegiaco carmine, quod EVTROPIO, magna COCCINII cura Cracoviae edito,

edito, est appositum. Exstant et: IACOBI FABRI STAPULENSIS INTRODUCTIONES, IN LIBROS PHYSICORVM ET DE ANIMA ARISTOTELIS. Regia in ciuitate Cracouiensi impresse. Impensis spectabilis viri Domini IOHANNIS HALLER. Anno salutis nostre. Millesimo quingentesimo decimo. In vigilia gloriose resurrectionis Domini. 4. Quibus addita est GREGORII STAVISINII praefatio: qua celeberrimi huius auctoris merita, in philosophiam ARISTOTELICAM, magnifice praedicavit.

XCVI.

CHRISTOPHORVS STEINENSIS Hungarus, in Academia Cracoviensi bonis litteris studuit. Ibidemque praefuit Contubernio Germanorum. Habemus: GEORGII VALLAE PLACENTINI, DE EXPEDITA ARGVMENTANDI RATIONE LIBELLVM. Cum CHRISTOPHORI STEINENSIS Epistola, ad Eximium artium ac sacrarum litterarum Doctorem, Dominum MICHAELEM VRATISLAVIENSEM, Cracoviensis Collegii maioris collegiatum. In Inclyta et Regia Civitate Cracoviensi. Anno tredecimo regni Serenissimi et Invictissimi Domini SIGISMVNDI Poloniae Regis: humanae vero Salutis MDXX. Impressum per HIERONYMVM VIETOREM. 4. MARCIque ANTONII SABELLICI, DE RERVM ET ARTIVM INVENTORIBVS POEMA. Cum

Cum CRISTOPHORI iſtius STEINENSIS Epiſtola, ad Magnificum ac Eximium iuris pontificii Doctorem, D. IACOBVM DE ARCISZEWO, Eccleſiae Cathedralis Cracovienſis canonicum, maecenatem ſuum. *Cracoviae* excuſum in officina HIERONYMI VIETORIS, Menſe Decembri, Anno Domini MDXXI. 4. Servamus quoque parvum libellum, a CHRISTOPHORO illo eodem STEINENSI, e Theotiſco Latine factum: Clariſſimoque Viro, Domino Doct. IACOBO, Reuerendiſſimi in CHTISTO Patris et Domini, D. PETRI GAMRATI, Archiepiſcopi Gneſnen. et Epiſcopi Cracovien. Phyſico Sollertiſſimo dedicatum. Cuius titulus: OLEVM IVNIPERI, QVA RATIONE, OMNIBVS FERE HVMANI CORPORIS AEGRITVDINIBVS MEDEATVR. A docto quodam Medico conſcriptum, et ex Germanico, in Latinum ſermonem verſum. CRACOVIAE EX OFFICINA CHALCOGRAPHICA HIERONYMI VIETORIS. VII KALEND. MARTII. ANNO AB ORBE REDEMPTO MDXLV. 8.

XCVII.

ADALBERTVS STETKIEWICZ, philoſophiae atque medicinae Doctor. Cracoviae, paululum ante SIGISMVNDI I Regis exceſſum, ſcientiam medendi coepit profiteri. Ediditque MEDICINALIA PRAECEPTA, DE COGNOSCENDIS, CVRANDISQVE SINGVLIS FEBRIBVS. Nuncupata Illuſtri

ac

ac Magnifico Domino, D. NICOLAO RADZIWIL, Magni Ducatus Lituaniae Marſalco Supremo. CRACOVIAE APVD HIERONYMVM SCHARFFENBERGVM. IDIBVS MARTIIS ANNI A CHRISTO NATO M.D.XLVIII. 8.

XCVIII.

IOANNES STOBNICENSIS, a patria ſua, Minoris Poloniae oppidulo, ſic dictus, in Cracovienſi Academia, philoſophiae diſciplinam praecipue coluit, auctore et doctore MICHAELE PARISIENSI, celebri illis temporibus Theologo ac Philoſopho. Exeunte ſaeculo XV, Magiſter liberalium artium eſt renunciatus. Saeculi autem XVI initio, inter publicos philoſophiae Profeſſores, locus ei, a IOANNE GLOGOVIENSI proximus, attributus. Mirifice praeceptorem ſuum dilexit, inque ſtudio omni, atque doctrina, veſtigia eius ſecutus eſt. Vulgavit trina ipſius opera. Unum ſic inſcripſit: QUESTIONES IN LIBROS ANALYTICORVM PRIORUM ET ELENCHORUM ARISTOTELIS. Cum reſolutione textus clariſſima ad intentionem doctoris SCOTI. Apud inclitam Polonie Cracouiam impreſſum in edibus famati viri domini IOHANNIS HALLER ciuis Cracouien. per CASPAREM HOCHFEDER. anno partus virginei 1504. die 18 Aprilis. 4. Alterum hoc titulo ornavit: QUESTIONES

IN

IN LIBROS ANALYTICORUM POSTERIORVM ET TOPICORVM ARISTOTELIS. Cum resolutione textus clarissima ad intentionem doctoris SCOTI. Impressum Cracouie in edibus prouidi circumspectique viri domini IOHANNIS HALLER ciuis Cracouien. anno salutis Christiane 1505. ad idus Ianuarias. 4. Tertium decoravit illa inscriptione: QUESTIONES VETERIS AC NOVE LOGICE. Cum resolutione textus ARISTOTELIS clarissima: ad intentionem doctoris SCOTI. Impressum Regia in ciuitate Cracouien. impensis prouidi viri domini IOHANNIS HALLER. salutis nostre anno septimo supra Millesimum quingentesimum. in vigilia MATHIE Apostoli. 4. Postremo operi hanc Epistolam praemisit:

IOANNES Stobnicensis artium magister: Magnifico domino MATHIE de Miechow artium et medicine doctori egregio: rectori ac vicecancellario Studii Cracoviensis optime merito.

Quas olim questiones veteris ac noue logice: cum lucida textus *Aristotelis* resolutione: vir dotissimus *Michael Parisiensis* artium ac sacre theologie doctor in Studio nostro primus luci dederat. sepiusque disputando vulgatas effecerat. video iam tum prolixo scribendi officio. tum superuenientibus quibusdam aliis recentioribus apud paucissimos remansisse. Meo vero iudicio pro adolescentum eruditione vtiliores nusquam hucusque conspicio. que ordinatiores. clarioresque essent. ac plura complecteren-

cterentur. ex quibus facilior eſſet ad opinionem doctoris *Scoti* introductio. Fateor enim et ego ingenue. ſi quid profecerim. me non ex aliqua alia lectione. quam ex his queſtionibus precipua cepiſſe fundamenta. Idem quoque et ex aliis audivi. quibus ille ſumme fuerunt vtilitati ad doctoris noſtri doctrinam capeſſendam. qui in hoc Gymnaſio clariſſimi euaſere. Indignum itaque exiſtimans tantos preceptoris noſtri labores magnam promittentes vtilitatem diutius occultari. ac in pauciſſimis codicibus in puluere demergi. curaui ut hoc tempore. quo tu Studii noſtri rector et vicecancellarius eſſes meritiſſimus. iterum quaſi de nouo in lucem impreſſe ederentur. tuoque nomini dedicarentur. A quo Studium Cracouienſe non tantum doctrina ſed pulcherrimis etiam beneficiis eſt non mediocriter iam adornatum. Quis enim tibi gratias non agat: cum pro plerisque aliis. que in noſtram Vniverſitatem munificentiſſime collata ſunt a principibus Regni opera tua. in primo et ſecundo rectoratu. quem ante hunc tertium prudentiſſime gerebas: tum ex fundatione tua. qua prouidiſti ut alter in medicinis lector haberetur. aut ex magnificis edificiis pro ſtudioſis adoleſcentibus de nouo funditus erectis. quibusdamque aliis magna impenſa inſtauratis ac plurimum auctis. quibus hoc Studium noſtrum ſentit vehementer ſe adiutum. meritoque te velut patrem colit ac veneratur. Quemadmodum igitur ſub tuo patrocinio tutum conquieſcit. ita et he queſtiones tuo nomine illuſtrate aduerſariorum morſum contemnant. quas ut benigniſſimo vultu excipias plurimum rogo.

Mortuo IOANNE GLOGOVIENSI, doctiſſimo eius temporis homine: IOANNES ille

STOB-

STOBNICENSIS traductus eſt ad primariam docendae philoſophiae cathedram. Qua de repente relicta: a Poſnanienſium Epiſcopo, IOANNE LVBRANSCIO, Gymnaſii, cuius, Praeſul ille ſapiens, auctor exſtitit, primam et ſummam praefecturam accepit. Nobileque ſimul, et dite ſacerdotium, ab eodem Antiſtite eſt conſecutus. Utroque autem munere depoſito, ab iis Franciſcanis, quos Minores vocant, cooptari petiit. Inque illorum gremio, hanc vitam beatam perfecit et abſolvit. Cracoviae a ſtudioſis adoleſcentibus amatus eſt impenſe, et magnae habitus auctoritatis. A THOMA BEDERMANO, NICOLAO DE GYELCZEPH, GREGORIO STAVISINIO, MARTINO DOBROGOSTIO, MATTHÆO HOLNSTEINIO, et MICHAELE VISLICIENSI, maxime poſteritati commendatus. Inter collegas ſuos, PAVLVM CROSNENSEM, Poëtam illum eruditiſſimum atque elegantiſſimum, fraterna affectione, benevolentiaque coluit. A quo viciſſim ardentiſſimo amore dilectus, pulchrisque carminibus collaudatus eſt. A IOANNE ipſo STOBNICENSI, opera huiusmodi conſcripta ſunt, atque evulgata:

1.) LEONARDI ARETINI in moralem diſciplinam Introductio: familiari IOANNIS *de Stobnicza* commentario explanata. Impreſſa CRACOUIE in domo domini IOANNIS HALLER ciuis Cracouien. anno Chriſtiane ſalutis M.

M. CCCCC. XI. in vigilia diui IOANNIS Baptiſte. et deinde UIENNE AUSTRIE per IOANNEM SINGRENIUM. Impenſis LEONARDI et LUCE ALANTSEE Bibliopolarum Uiennenſium. Anno Domini M. CCCCC. XV. Sexto Nonas Martii. prodita. 4. Liber ille, ADAMO de BOCHYN, Poloniae Regis SIGISMVNDI I Medico, Cracovienſisque Academiae eo tempore Rectori, eſt inſcriptus.

II.) IOANNIS DE STOBNICZA artium magiſtri, Introductio in CLAUDII PTOLEMEI Coſmographiam: cum longitudinibus et latitudinibus Regionum et Ciuitatum celebriorum.

Adiunguntur etiam:

Epitoma Europe ENEE SILUII: paucis quibusdam in ea de partibus noſtre Sarmacie immutatis.

Situs et diſtinctio parcium tocius Aſie per brachia Tauri montis: ex Aſia PII· SECUNDI.

Particularior Minoris Aſie deſcriptio: ex eiusdem PII Aſia.

Sirie compendioſa deſcriptio: ex ISIDORO.

Africe breuis deſcriptio: ex PAULO OROSIO.

Terre Sancte et Urbis Hieruſalem apertior deſcriptio: fratris ANSELMI ordinis Minorum de obſeruancia.

Impreſſum CRACOUIE per FLORIANUM UNGLERIUM. Anno Domini M. D. XII. iterumque Excuſum per HIERONYMVM VIETOREM. Anno Redemtoris M. D. XIX. 4. Hoc opus dedicatum eſt, Poſnanienſis Eccleſiae Antiſtiti, Gymnaſiique conditori, IOANNI LVBRANSCIO.

 III.) PAR-

III.) PARVULUS PHILOSOPHIAE NATURALIS. Cum expositione textuali: ac dubiorum magis necessariorum dissolutione: ad intentionem SCOTI: congesta in Studio Cracoviensi à IOANNE STOBNICENSI artium Magistro. Impressum CRACOUIAE impensis spectabilis viri domini IOANNIS HALLER ciuis Cracouien: per FLORIANVM UNGLERIUM. Anno Domini 1513. BASILEAEque ex Aedibus ADAE PETRI. Mense Septembri. Anno MDXVI. editum. Et CRACOUIAE impensis spectabilis viri domini IOANNIS HALLER ciuis Cracouien. Anno 1517. repetitum. 4.

IV.) HISTORIA TOTIUS VITAE ET PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. Ex quatuor Euangelistis collecta a Fratre IOANNE DE STOBNICZA ordinis Minorum de obseruantia. Regia in Ciuitate CRACOUIA: impressum opera et impensis spectabilis uiri, Domini IOANNIS HALLER, Ciuis et Consulis Cracouien. Anno post CHRISTI aduentum M.D.XXIII. perque eundem Typographum. Anno a salutifera Incarnatione M.D.XXV. recusum. 4.

XCIX.

IOSEPHVS STRVTHIVS, Medicus nobilis, patriam nactus est Posnaniam, Maioris Poloniae caput. Latino sermone, humanitatisque studiis, domi imbutus est, a cive suo, THOMA BEDERMANO. Cracoviam iuvenis admodum profectus, Graecas litteras

teras apud GEORGIVM LIBANVM Legnicensem didicit. Ibidemque philosophiae atque mathematicae praecepta, a VALENTINO MORAWSCIO tradita, percepit. Medicinam autem, CYPRIANO LOVICIENSI duce, est aggressus. Eoque conciliatore, a summo eruditissimoque viro, IOANNE LASCIO, Gnesnensium tunc temporis, Lanciciensiumque Praeposito, receptus est in numerum amicorum, magnificisque muneribus donatus: et cognomini sibi patruo, Gnesnensis Metropolitanae Ecclesiae Archipraesuli, Regnique Poloniae Primati, quam studiosissime et diligentissime commendatus. Apertus deinde illi est aditus familiaris, ad Cracoviensem tum Cathedralem Archidiaconum, atque Posnaniensem Praepositum, Regnique Secretarium Supremum, IOANNEM CHOIENSCIVM, optimarum omnium virtutum, artiumque laudibus florentissimum. Huiusque incitatus cohortatione beneficentiaque, Patavium sese contulit. Magistro ibi perito, consummatoque, LAZARO BONAMICO usus, Graecae litteraturae studium renovavit, magisque et magis excoluit. Medicamque artem, a FRANCISCO PHRIGOMELIO, HIPPOCRATIS disciplina, illa tempestate, omnium eruditissimo atque exercitatissimo, adeo bene, adeoque feliciter edoctus est: ut amplissimi Senatus Veneti auctoritate, publicus in illa

illuſtri Medicorum ſchola profeſſor, ipſe fuerit conſtitutus. Sphygmicamque ille doctrinam, ſaluberrimam illam, maximeque ut tum exiſtimabant neceſſariam: ſed poſt GALENI tempora penitus neglectam et deperditam: primus omnium reſtituit, frequentiſſimoque auditorio palam propoſuit, et edito deinceps opere peculiari explicavit, atque illuſtravit. Iuvenis Cracoviae, cariſſimum et iucundiſſimum amicum habuit, IOSEPHVM TECTANDRVM, patricium illic adoleſcentem, ſingulari prudentia, ingeniique elegantia, et humaniorum litterarum cognitione praeditum. Multumque fuit cum FRANCISCO MYMERO Sileſio, litteratiſſimo et feſtiviſſimo iuvene, Gentisque Polonicae cupidiſſimo. In patria Vrbe verſatus eſt in primis, cum CHRISTOPHORO HEGENDORFFINO Saxone, Latinarum Graecarumque litterarum doctore haud ignobili. Patavii vero quotidiana ei conſuetudo interceſſit, cum doctiſſimis atque eloquentiſſimis Polonorum: STANISLAO HOSIO, MARTINOque CROMERO: STANISLAO etiam ORICHOVIO, atque SIMONE MARICIO. Fueruntque inter ipſos officia magna et mutua. IOANNI quoque STARZECHOVIO, erudito viro, et liberali, deque litterarum ſtudioſis optime merito, coniunctus fuit magno uſu familiaritatis. Eidemque, febri continua vehementique conflictanti, opitulatus eſt.

Alie-

Alieniſſimus autem fuit a CLEMENTE IANICIO, illo optimo, nobiliſſimoque Poëta: quod, valetudine affectus adverſa, ipſius operam atque conſilium ſpreverit, et parvi putaverit. Servantur, in muſeo ZALVSCIANO publico, STRVTHIANA haec opuſcula, ſub SIGISMVNDO SENIORE Rege divulgata:

I.) Ad medicum, hiſce temporibus maximum atque celeberrimum: D. CYPRIANVM DE LOWICZ: DE MEDICAE ARTIS EXCELLENTIA. Carmen Elegiacum. Autore IOSEPHO STRVTHIO Poſnanienſe. CRACOVIAE per MATHIAM SCHARFFENBERGIVM excuſum: in vigilia Nativitatis Dominicae. Anno MDXXIX. 8.

II.) Ad Reverendiss. in Chriſto Patrem et Dominum, D. IOANNEM LATALSCIVM, Epiſcopum Poſnanienſem, Elegia IOSEPHI STRVTHII Poſnanienſis.

Praemiſſa eſt: CHRISTOPHORI HEGENDORFFINI DECLAMATIONI GRATVLATORIAE, IN CORONATIONEM IVNIORIS POLONIAE REGIS. Cracoviae, apud HIERONYMVM VIETOREM, anno MDXXX, forma 8, editae.

III.) IOSEPHI STRVTHII Poſnanien. Ad bonae mentis Adoleſcentes, Elegiacum Carmen Paraeneticum: id eſt: Exhortativum ad Studium eloquentiae.

Eidem DECLAMATIONI eſt ſubtextum.

IV.) Sanctiſſimi Patris et Domini, D. IOANNIS A LASKO, Archiepiſcopi et Primatis totius

Regni Poloniae, Epicedium. Elegiacis verſibus conſectum. Autore IOSEPHO STRVTHIO Poſnanienſe. Apud Regiam CRACOVIAM MATHIAS SCHARFFENBERGIVS excudebat. IV Nonas Iunias. MDXXXI. 4.

V.) LVCIANI SAMOSATENSIS ASTROLOGIA, ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

IOSEPHI STRVTHII Poſnanieñ. in LVCIANI ASTROLOGIAM. Commentariorum libri duo.

LVCIANI Declamatio lepidiſſima, quae Δίκη Φωνηέντων, id eſt, Iudicium Vocalium inſcribitur. IOSEPHO STRVTHIO Poſnanienſe Interprete.

Excuſum CRACOVIAE per MATHIAM SCHARFFENBERGIVM. Anno MDXXXI. forma 8 maiori.

Commentaria, in LVCIANI Aſtrologiam, dicata ſunt Praepoſito Gneſnenſi atque Lancicienſi IOANNI à LASKO, deſignato Epiſcopo Veſprimienſi in Pannonia. Illique eidem Maecenati, conſecrata eſt Iudicii Vocalium interpretatio.

VI.) GALENI ASTROLOGIA AD APHRODISIVM. Spuria quidem iudicata. Exhibens Mathematicae Scientiae Prognoſtica De Decubitu Infirmorum. Nunc primum à IOSEPHO STRVTHIO è Graeco tranſlata. VENETIIS per IOANNEM PATAVINVM, et VENTVRINVM de RVFFINELLIS. Anno Domini MDXXXV. 8.

Sacratus eſt ille libellus, Reverendiſſimo in Chriſto Patri et Domino, D. IOANNI CHOIENSCIO, Premiſlienſi iam Epiſcopo, Regisque Poloniae ab intimis.

Ipſam

Ipſam SRVTHII Verſionem, inclytus Zviccavienſium Medicus, IANVS CORNARIVS, Operum GALENI, Editionis Latinae, Tomo Octavo, Libros Spurios complectenti, p. 43 — 58, inſeruit.

VII.) GALENI DE VRINIS LIBER. Genuinus aliis viſus: aliis ſuppoſiticius. Nunc primum à IOSEPHO STRVTHIO è Graeco traductus. VENETIIS per IOANNEM PATAVINVM, et VENTVRINVM de RVFFINELLIS. Anno Domini MDXXXV. 8.

Eſt celeberrimo et ornatiſſimo viro, Domino VALENTINO MORAWSKI: bonarum artium et medicinae Doctori: indicandi memoris et grati animi cauſa, miſſus.

STRVTHII Interpretatio: inter GALENI Opera, ex Nona IVNTARVM Editione Latina, Venetiis anno MDCXXV in medium prolata: Claſſe IV. p. 123 — 126, locum ſuum eſt aſſecuta.

VIII.) CLAVDII GALENI PERGAMENI, DE ANTIDOTIS LIBRI DVO: per tot ſaecula ab omnibus magno opere deſiderati: in gratiam magni antiſtitis, IOANNIS CHOIENII epiſcopi Plocenſis, è Graeco in Latinum traducti, et Commentariis brevibus illuſtrati, à IOSEPHO STRVTHIO Polono, publico tunc artis medicae Patavii profeſſore. VENETIIS per IOANNEM ANTONIVM de NICOLINIS de Sabio. MDXXXVII. Cum privilegio: ab Illuſtriſſimo et Excellentiſſimo Domino Veneto per duodennium conceſſo. forma 8. maiori.

Duae praefixae ſunt Epiſtolae; altera ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem et Dominum, D. IOANNEM CHOIENIVM, Dei gratia Epiſcopum Plocenſem, Studioſorum Patronum et Maecenatem; altera

ad Excellentissimum Philosophum, et Consummatissimum Medicum, Dominum FRANCISCVM PHRIGOMELIVM, ordinarium et fidelem artis medicae Patavii professorem. Ambae unà Venetiis datae, anno Salutis nostrae MDXXXVI.

ANTIDOTARIO GALENI, subiuncti quoque sunt, ipsius ASTROLOGIÆ AD APHRODISIVM LIBER VNVS. Eiusdemque, DE VRINIS LIBER VNVS, STRVTHIO eodem Interprete.

IX.) CLAVDII GALENI PERGAMENI, IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE FRACTVRIS, COMMENTARIORVM LIBRI TRES. E Graeco in Latinum conversi, à IOSEPHO STRVTHIO Polono, publico artis medicae Patavii professore. VENETIIS IN AEDIBVS BARTHOLOMAEI ZANETTI. ANNO DOMINI MDXXXVIII. forma 8 maiori.

Oblati sunt, Reverendissimo in Christo Patri, vitaeque sanctitate et doctrina omnigena Illustri Principi, ac Studiosorum omnium Maecenati et quasi Parenti, IOANNI CHOIENSCIO, Episcopo Cracoviensi, et Regni Poloniae Cancellario.

X.) CLAVDII GALENI PERGAMENI, IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE ARTICVLIS, COMMENTARIORVM LIBRI QVATVOR. Latinè redditi à IOSEPHO STRVTHIO Polono, publico artis medicae Patavii professore. VENETIIS APVD BARTHOLOMAEVM ZANETTVM. ANNO DOMINI MDXL. forma 8 maiori.

Dedicati SCHOLÆ PHILOSOPHORVM ET MEDICORVM PATAVINÆ.

STRVTHIVS ille, revocatus a SIGISMVNDO AVGVSTO Rege in patriam suam: sororis eius, ISABELLÆ Hun-

Hungarorum Reginae, tum in Polonia commorantis, rexit valetudinem. Comitatus Reginam illam eſt in Hungariam. Proceſſitque inde, ad Turcarum Imperatorem, SOLTANVM SOLIMANNVM SACHVM. Cui in aegritudine ancipiti ſalutare praebuit conſilium. A quo cum in Poloniam ſeſe recepiſſet: Poſnaniae uxorem, POLYXENAM KARSNICIAM, civem duxit: morum caſtitate atque elegantia, formaeque venuſtate, et dote opulenta, reliquas omnes feminas, in Vrbe illa, temporibus illis ditiſſima, rerumque omnium abundante, longe antecellentem. Studiis nihilominus pertinaciter deditus: ARTEM SPHYGMICAM, Patavii olim a ſe molitam, ſuisque ibi diſcipulis praelectam, ad umbilicum adduxit, SCHOLÆque PHILOSOPHORVM ET MEDICORVM PATAVINÆ, apud quam fuerat ipſe diſcipulus primum, poſteaque praeceptor, inſcriptam: Poſnania, ex aedibus ſuis, quarto nonas Martias, anno Salutis humanae MDLV, Baſileam miſit, formulis typographorum excudendam. Prodiit opus, illo adhuc anno, e IOANNIS OPORINI officina: forma ea, quam octavam dicimus: aſſenſu et plauſu admirabili ab omnibus exceptum. Auctor ipſe frequentius, a Rege Hiſpaniarum, PHILIPPO Secundo, conſultus: propoſitoque ſtipendio opimo, in Iberiam invitatus fuit.

A patre autem patriae, SIGISMVNDO AVGVSTO, praemio debito, atque Medici Regii honore retentus: omnibusque fortunae bonis accumulatus: domi, et inter ſuos, mortalitatem explevit, anno poſt CHRISTVM natum MDLXVIII, aetatis ſuae octavo et quinquageſimo. Extremam omnem curam inſumſit ad emendandam ARTEM SPHYGMICAM ſuam. Cui uni, atque benignitati divinae: quidquid auctoritatis apud populares ſuos, et exteras nationes, ſibi pepererit: quidquid invidiae apud aemulos ceperit: quidquid opum et divitiarum ſit adeptus: totum ſe acceptum referre, aiebat. Quae, poſt ipſius fata, nitore ſummo conſpicua, in lucem exiit. Inſignita tunc titulo illo fuit:

XI.) ARTIS SPHYGMICÆ, IAM MILLE DVCENTOS ANNOS PERDITÆ, ET DESIDERATÆ, LIBRI QVINQVE. A IOSEPHO STRVTHIO POSNANIENSE, MEDICO, CONSCRIPTI. Nunc denuo diligentiſſimè emendati. VENETIIS, MDLXXIII. Ad inſtantiam IACOBI ANELLI DE MARIA, Bibliopolae Neapolitani. 8.

Annis autem viginti novem interiectis, cum inſcriptione tali, eſt repetita:

XII.) ARS SPHYGMICA, SEV PVLSVVM DOCTRINA, SVPRA M. CC. ANNOS PERDITA, ET DESIDERATA. Omnibus tamen Medicinam, cum nominis celebritate, maximaque utilitate, facere volentibus, ſummè neceſſaria. A IOSEPHO STRVTHIO

Poſna-

Posnanienſe, SIGISMVNDI AVGVSTI Regis Poloniae olim Medico, Libris quinque conſcripta, et iam primum aucta. Acceſſit HIERONYMI CAPIVACCEI, de Pulſibus, elegans Tractatus: et CASPARI BAVHINI Introductio, Pulſuum Synopſin continens. BASILEÆ, Impenſis LVDOVICI KOENIGS. cIↄ. Iↄ. CII. 8.

C.

CHRISTOPHORVS a SVCHTEN, Gedanenſis Conſulis HENRICI filius. Exſtat illius poëma heroicum: DE NOBILI ET GLORIOSA UICTORIA, PER INUICTISSIMUM POLONIĘ REGEM, MAGNVMQUE DUCEM LITUANIĘ, D. SIGISMUNDUM, A MOSCIS REPORTATA. IMPRESSUM APUD IOANNEM HALLER IN REGIA URBE CRACOUIA. ANNO UIRGINEI PARTUS M. CCCCC. XIIII. MENSE NOUEMBRI. Rurſusque inter: ILLVSTRIVM ALIQVOT VIRORVM CARMINA, de memorabili cede Moſcorum, per Sereniſſimum ac Inuictiſſimum D. SGISMUNDUM Regem Polonię, apud aras ALEXANDRI Magni peracta. In Urbe Roma. VIII Kalendas Februarii. Anno Salutis Milleſimo quingenteſimo decimo quinto. Omiſſa Typographi mentione. publicatum. 4.

ALEXANDER a SVCHTEN: patricia eadem familia Gedani natus: GVLIELMI GNAPHEI primi Elbingenſis Gymnaſiarchae diſcipulus, GEORGIIque SABINI primi Regiomontanae Academiae Rectoris auditor fuit.

fuit. Utriusque monito atque exemplo, ad Gentis Polonicae gloriam laudemque celebrandam excitatus, inflammatusque, singulare carmen elegis contexuit, cuius inscriptio haec est: VANDALVS, ILLVSTRI PRINCIPI, D. ANDREAE COMITI A GORCA, CASTELLANO POSNANIENSI, ET MAIORIS POLONIAE SVPREMO CAPITANEO, DEDICATVS. ADDITA EST EPISTOLA LVCRETIAE AD EVRIALVM. ET, AD CLARISSIMVM VIRVM GEORGIVM SABINVM, DE MORTE PETRI BEMBI, ELEGIA. AVTORE ALEXANDRO A SVCHTEN GEDANENSI. IN ACADEMIA REGII MONTIS. ANNO M. D. XLVII. MENSE AVGVSTO. EXCVDEBAT IOANNES WEINREICH. 4.

CI.

IOSEPHVS TECTANDER Cracoviensis, patre IOANNE Consule gravissimo natus, a principio iuventutis, Latinis atque Graecis litteris, et liberalibus disciplinis, intentam operam impendit. Praeceptores in patria Academia habuit, RVDOLPHVM AGRICOLAM Rhaetum, GEORGIVMque LIBANVM Silesium, et MATTHÆVM SAMOTVLIVM Polonum. Patavii LAZARI BONAMICI scholas frequentavit. Eademque in urbe, medicinalibus studiis maxime vigente, apud MATTHÆVM CVRTIVM, artem medicinae summa diligentia tractavit atque exercuit. Rediens

ab Italia, Basileae aliquantum substitit, salutandi visendique DESIDERII ERASMI Roterodami gratia. Viennaeque Austriae mensem prope commoratus est, propter GASPARIS VRSINI VELII societatem, qua non potuit oblectari satis. Potissimo illius suasu permotus, Vratislaviae ad GEORGIVM LOGVM accessit. A quo, in rure amoeno et suburbano, perhonorifice est acceptus, omnibusque hospitalitatis officiis eximie cultus. Postquam autem in patriam Urbem revertit, a Cracoviensium Palatino et Praefecto, Regnique Poloniae Mareschalco, PETRO KMITA, familiarissimis suis adscriptus est. Deinde BONÆ Reginae insinuatus. Eiusque rogatu, a SIGISMVNDO SENIORE Rege, primogenitae illius filiae, ISABELLÆ, ad maritum suum, IOANNEM PRIMVM, Hungariae Regem iturae, scriba intimus, simulque custos salutis additus. A qua brevi Cracoviam sese recepit. Domique, viridi adhuc aetate, fato concessit. Adolescentiae initio, VALENTINVS ECKIVS Rhaetus, atque IOSEPHVS STRVTHIVS Polonus, assiduissimi ei, fidissimique vitae ac studiorum socii fuere. Extremis autem temporibus suis, IOANNE ANTONINO et GEORGIO WERNERO Hungaris: ANTONIO atque MICHAELE WRANTIIS Dalmatis: IOANNEque LANGO et ANSELMO EPHORINO Silesiis: CLEMENTE

quoque

quoque IANICIO, et ANDREA FRICIO MODREVIO, et STANISLAO AICHLERO Polonis, ſic eſt uſus, ut nemo eis fuerit amicior, nec iucundior, nec carior TECTANDRO. Cuius et doctrina, et virtus, ab iisdem viris, laude inſigni celebrata eſt. Vivus ipſe: ELEGIAS III. DE PEREGRINATIONIBVS SVIS. ILLVSTRI VISNICIENSI COMITI, D. PETRO CMITÆ, PALATINO CRACOVIENSI AC REGNI POLONICI SVPREMO MARSCHALCO, DEDICATAS. CRACOVIAE. EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNGLERIANA. KALENDIS IANVARII. M. D. XLII. forma 8 maiori, in manus doctorum hominum dedit. Poſt quintum autem mortis annum: CL. GALENI DE VENAE SECTIONE ADVERSVS ERASISTRATVM LIBER. AD GRAECORVM EXEMPLARIVM FIDEM RECOGNITVS. IOSEPHO TECTANDRO CRACOVIENSI INTERPRETE. ALTERQVE DE VENAE SECTIONE ADVERSVS ERASISTRATAEOS QVI ROMAE DEGEBANT. INTERPRETE EODEM. Cum reliquis GALENI Operibus Latine redditis, IANI CORNARII Zviccavienſis Medici cura, BASILEAE APVD HIERONYMVM FROBENIVM ET NICOLAVM EPISCOPIVM. MENSE MARTIO. HVMANAE SALVTIS ANNO MDXLIX. folii magnitudine, publici iuris * ſunt facti.

CII.

*) Tomo quidem V. p. 1058 - 1102. Utraque TECTANDRI Interpretatio, in GALENI Operibus, ex Nona IVNTARVM Editione Latina promulgatis, Claſſe VI. p. 7 - 15, eſt collocata.

CII.

GEORGIVS TICZINENSIS Roxolanus. Hic PAVLI CROSNENSIS Poëtae, annis iam et viribus ſeneſcentis, diſcipulus fuit. Poëticamque artem in Academia Cracovienſi publice docuit. Pepigit et ipſe carmina haud infeliciter. Uſus eſt STANISLAI KMITÆ Leopolienſis Caſtellani, THOMÆque ROSNOWSCII Cracovienſis Cathedralis Canonici, et NICOLAI LVTOMIRSCII Regiorum vectigalium Exactoris, familiaritate atque liberalitate ſingulari. Multumque amatus, rebusque, quibus domi ſuae indiguit, praecipue eſt adiutus, a FRANCISCO BONERO atque BARTHOLOMÆO CROMERO, Civitatis Cracovienſis Conſulibus. Veterrimum atque intimum amicum habuit, IOANNEM TVROBINVM, conterraneum ſuum. Vixitque, cum WOLFGANGO DROSCHIO atque FRANCISCO MYMERO Sileſiis, a condiſcipulatu familiariſſime. Regnante SIGISMVNDO SENIORE, haec a GEORGIO illo TICZINENSI concinne non minus, quam diligenter ſunt elaborata, publicaeque luci expoſita:

1.) Ad Clariſſimum Virum, Dominum NICOLAVM LVTOMIRSKI, Regiorum vectigalium Exactorem: GEORGII TICZINENSIS, artium liberalium Magiſtri, ELEGIACON IN DIVVM NICOLAVM PRAESVLEM

INCLY-

INCLYTISSIMVM. CRACOVIAE impressum per HIERONYMVM VIETOREM. Vltima Novembris. Anno MDXXXIV. 4.

II.) VITA DIVAE BARBARAE VIRGINIS INCLYTISSIMAE: in gratiam Magnifici Domini STANISLAI KMITÆ DE WISNICZE, Castellani Leopolien. Carmine Elegiaco conscripta. Adiuncto Epigrammate Apophoretico, ad Reverendum Patrem, Dominum THOMAM ROSNOWSKI, Canonicum et Officialem Cracovien. Autore GEORGIO TICZINENSI, artium Magistro. CRACOVIAE. DIE III IANVARII. AN. MDXXXVII. nulla adiecta nota Typographi. 4.

III.) DE DIVA SALOMEA VIRGINE, HALICIAE REGINA INCLYTISSIMA: ad Reverendum in CHRISTO Patrem, D. THOMAM ROSNOWSKI, Cathedralis Ecclesiae Cracoviensis Canonicum et Officialem Generalem: Carmen Elegiacum. Autore GEORGIO TICZINENSI, artium liberalium Magistro. CRACOVIAE excudebat HIERONYMVS VIETOR Regiae Cancellariae Chalcographus. In vigilia Divi THOMAE Apostoli. Anno Salvatoris MDXXXVII. 4.

IV.) GEORGII TICZINENSIS Rutheni artium liberalium Magistri: DE INCLYTISSIMA POLONIAE VRBE CRACOVIA, CARMEN ELEGIACVM: Gravissimo Senatui Cracoviensi dicatum, infra Octavam EPIPHANIAE DOMINI. MDXXXVIII. IMPRESSVM. CRACOVIAE IN AEDIBVS HIERONYMI VIETORIS. 4.

V.) In Augustissimas Nuptias, Iunioris Poloniae Regis SIGISMVNDI AVGVSTI, Et ELISABE-

SABETHAE Romanorum Regis FERDINANDI Filiae: Carmen Elegiacum. Autore GEORGIO TICZINENSI Rutheno, CRACOVIAE excuſum per HIERONYMVM VIETOREM. Die V menſis Maii. Anno redditae Salutis MDXLIII. 4.

vi.) Ad Sereniſſimum Regem Poloniae, Magnumque Ducem Lituaniae, SIGISMVNDVM AVGVSTVM: In Funere Divae Coniugis ELISABETHAE: Carmen Elegiacum. Autore GEORGIO TICZINENSI Rutheno. CRACOVIAE In Officina HIERONYMI VIETORIS Excuſum. Die XXVIII Menſis Iulii. Anno Domini MDXLV. 4.

vii.) Ad Sereniſſimum SIGISMVNDVM AVGVSTVM, Vtriusque Poloniae Regem: In Funere Divi Parentis, SIGISMVNDI MAGNI: Carmen Elegiacum. Autore GEORGIO TICZINENSI Rutheno. Impreſſum eſt IN REGIA VRBE CRACOVIENSI: apud Viduam HIERONYMI VIETORIS. VII Kalendas Auguſti. Anno ab Orbe reconciliato MDXLVIII. 4.

Huius quoque GEORGII TICZINENSIS nonnulla leguntur Epigrammata, DROSCHII atque MYMERI Carminibus attexta.

CIII.

ANDREAS TRICESIVS, Eques Polonus. Patre prognatus IOANNE, prudenti homine, et in primis diſerto, nec minus Graece et Hebraice, quam Latine docto.

A quo ſtatim pueritiae tempore, iisdem litteris accurate eſt inſtitutus, ac ſtudio dicendi perfecte inſtructus. Iuvenili aetate Cracoviae, cum PETRO ILLICINO Graeco grammatico, FRANCISCOque STANCARO Hebraicarum litterarum doctore, plurimum verſatus eſt. Inchoavitque tum amicitiam, cum IACOBO PRILVSIO, Graeca atque Latina litteratura, eloquentiaque extemporali clariſſimo. Cuius opera, in STANISLAI ORICHOVII, nobiliſſimi civis, maximique oratoris, ſocietatem intravit. Deductus autem ab utroque eſt, ad illuſtre par poëtarum, IOANNEM LANGVM atque PETRVM ROYSIVM. Qui iuvenem illum, eminenti ingenio, multaque et varia eruditione praeditum, et in dicendo ſuavem atque ornatum, vehementer admirati atque amplexi ſunt. Coepit perinde cum iis eſſe quotidie. Affuitque eorum recitationibus poëticis. Quibus incredibiliter delectatus, poëtices ſtudium ipſe arripuit, et ingenti fervore perſecutus eſt. Dedit, ipſo exitu regni SIGISMVNDI SENIORIS, poëticae facultatis praeclarum ſpecimen, emiſſa: IN DIEM NATALEM CHRISTI, LIBERATORIS NOSTRI, ELEGIA. CRACOVIÆ PER MATHIAM SCHARFFENBERGVM. MENSE DECEMBRI ANNI MDXLVII. forma 8 maiori. Emortuumque Regem deploravit, Elegis fluentibus, et teneris, et nitidis, ab eodem Typo-

Typographo, menſe Aprili anni MDXLVIII, forma conſimili excuſis. Quos ſpectatiſſimo Seni, Regisque defuncti quondam perfamiliari, IVSTO LVDOVICO DECIO inſcripſit. Cuius deinceps benevolentia, munificentiaque, TRICESIVS inſigniter adiutus, ad externas gentes profectus eſt. A quibus, cum linguis nobiliſſimis, et artibus praeſtantiſſimis, ſententias maxime pernicioſas et exitiabiles percepit. Reverſusque in patriam ſuam, turbae novatorum incrementum grande adiecit. Synodo enim illi univerſali: quae prima omnium ab Heterodoxis Coſmineci, illuſtrium Comitum OSTROROGORVM oppido, prope Caliſſium in Polonia Maiori ſito, anno MDLV, a die XXIV menſis Auguſti, usque ad II Septembris, frequentia magna agitabatur: TRICESIVS, velut Patronus Eccleſiarum Poloniae Minoris, interfuit. Principatumque deinceps inter eos tenuit, qui in Polonia Minori, Pinczoviae: OLESNICIÆ familiae inclytiſſimae domicilio: NICOLAI Ducis RADIVILII, Palatini Vilnenſis, Supremique Lituaniae Mareſchalci atque Cancellarii, auſpiciis impendiisque, BIBLIA SACRA in Polonicum ſermonem vertebant, erroribusque temerariis ac periculoſis polluebant. Caros iis fere temporibus habuit, inque primis amavit, carminum Latiorum auctores terſos elegantesque, CHRISTOPHORVM KOBILIEN-

SCIVM Polonum, atque ADAMVM SCHROETERVM Silesium. Repulsum autem tum a nationibus exteris, reducemque in Poloniam, desertorem avitae religionis patriaeque salutis, IOANNEM LASCIVM: Metropolitanum olim Praepositum Gnesnensem, atque designatum Vesprimiensem Episcopum: haud secus, ac familiaris filius parentem, coluit et observavit. Vitaque functi laudes, in publico eius funere, carmine concelebravit. Coniunctius postea vixit cum NICOLAO REIO, vernaculorum carminum puro ac comto scriptore: religionum autem novarum sectatore flagrantissimo. Deditque se in consuetudinem IOANNIS MACINII; qui florentiorem aetatem, conscribendo LEXICO LATINO POLONICO, feliciter impendit; senectutis autem tempora, refotis ARII erroribus, turpissime perdidit. FRANCISCI STANCARI, praecipui Poloniae turbatoris, familiaritati inhaesit perpetuo. Neque tamen PETRI ROYSII, catholicae pietatis cultoris, et vindicis acerrimi, amicitiae nuncium remisit. Permansitque, inter TRICESIVM illum Romano nomini infestissimum, atque STANISLAVM ORICHOVIVM Ecclesiae Romanae reconciliatum, fida ac firma amicitia. IACOBVM quoque GORSCIVM, atque BARTHOLOMÆVM GROICIVM: utrumque veteris sacrorum disciplinae tenacissimum: ab adolescentia ineunte, constan-

tia

tia eadem atque teneritudine, dilexit idem TRICESIVS. Perque aetatem omnem, IOANNIS DEMETRII SOLIKOVII, eruditione et ſanctitate ſingulari praediti: propugnandaeque in Polonia, amplificandaeque Eccleſiae Orthodoxae divinitus conceſſi: obſervantiſſimus ac ſtudioſiſſimus fuit. Eiusque poëmatia, carminibus ſuis interſeruit. Mortuo NICOLAO Duce RADIVILIO, nactus TRICESIVS Maecenatem alterum eſt, praedivitem itidem, nec minus in Republica potentem: novarumque doctrinarum atque hominum ſectariorum mire cupidum: IOANNEM FIRLEIVM, Lublinenſium tempeſtate illa Palatinum, Regnique Polonici Mareſchalcum Supremum. Cuius rogatu, TRICESIVS a SIGISMVNDO AVGVSTO Rege in numerum Secretariorum adſcriptus eſt. Per idem tempus, ab ALBERTO LASCIO Palatino Siradiae: IOANNEque CHRISTOPHORINO Vielunenſium Caſtellano: STANISLAO etiam OSTROROGO Caſtellano Mederecenſi, atque HIERONYMO BVZINIO Vielicenſium atque Bochnenſium Salinarum Praefecto: certatim quidem, ſed fere aequaliter fuit amatus, officiisque humanitatis atque muneribus amplis cumulatus. Extrema iam aetate, fautorem optimum, atque adiutorem in rebus omnibus, PETRVM BVZINIVM, Praefectum Breſinenſem atque Dobcicenſem, habuit. Poëticae virtutis fa-

ma exiſtimationeque TRICESIVS maxime STEPHANI BATHOREI principatu floruit. Eoque temporis ſpatio, IOANNI COCHANOVIO, Poëtarum Polonorum, Latio ac patrio carmine, tunc principi, in amoribus fuit. A quo, pro oblatis ipſi poëmatibus ſuis, epigramma illud obtinuit:

Aurea, TRICESI, tua carmina divitiores
Auro penſabunt, muneribusque datis.
Nos, quibus arcta domi res eſt, et curta ſupellex,
Pro tereti verſu carmina culta damus.
Inferiora tuis equidem: neque enim anſer olori,
Aut par luſciniae garrula hirundo canit.

Mentionem honorificentiſſimam de TRICESIO, ſcriptores duo admodum celebres, TRICESIIque aequales, alter BARTHOLOMÆVS PAPROCIVS, in opere vernaculo, DE INSIGNIBVS NOBILITATIS POLONÆ, p. 234. alter STANISLAVS SARNICIVS, in ANNALIBVS POLONORVM, p. 400. iniecerunt. Neuter tamen mortis eius tempus expreſſit. Conjici autem e PAPROCII narratione poteſt: ante operis ſui editionem, id eſt, ante annum renovatae Salutis MDLXXXIV, TRICESIVM humanis rebus exemtum fuiſſe. PETRVS quidem ROYSIVS, in CHILIASTICO ſuo: aevi

aevi sui, et Heroibus, et Maecenatibus, et Scriptoribus dicato: ORICHOVIVM atque PRILVSIVM, REIVM quoque, TRICESIVMque, Ordini Ecclesiastico, novis religionis opinionibus, nimiopere ingratos et invisos, silentio transiit. BERNARDVS autem MACIEIOVIVS, Pontifex Cracoviensis: pietatis ac doctrinae, prudentiaeque atque vigilantiae laudibus, maxime inclytus: PRILVSIVM, REIVMque, et TRICESIVM, iamdiu exstinctos, in publicatum a se INDICEM AVCTORVM ET LIBRORVM PROHIBITORVM, IN POLONIA EDITORVM, intulit. Praeter illa TRICESII opuscula: quae supra commemoravimus: subsequentia ad nos venerunt.

Latino quidem sermone:

I.) Legum et Statutorum Regni Poloniae, ab IACOBO PRILVSIO unum in volumen congestorum, commendatio: Elegiaco carmine. Auctore ANDREA TRICESIO, Equite Polono. Praemissa est, PRILVSII ipsius Operi: quod Cracoviae, anno MDLIII ineunte, ex auctoris typographeo proprio, folii magnitudine prodiit. Sub finem eiusdem operis legitur: In IACOBI PRILVSII, Praestantissimi et Poëtae, et Philosophi, et Iurisconsulti effigiem. ANDREÆ TRICESII, Equitis Poloni, carmen extemporale, Elegis scriptum.

II.) ANDREÆ TRICESII Commonitio. Qua: STANISLAI ORICHOVII Rutheni, Panegyricum Nuptiarum SIGISMVNDI AV-

GVSTI, Poloniae Regis. Cracoviae, ex officina LAZARI, menſe Auguſto anni MDLIII, forma 8, foras datum, eſt comitatus.

III.) Chriſtianae Religionis prima elementa, Latinis, Graecis, Germanicis et Polonicis carminibus tradita, per ANDREAM TRICESIVM, Equitem Polonum: Adiecta ſunt, PETRI PAVLI VERGERII opuſculo, quod: Lac ſpirituale, pro alendis ac educandis Chriſtianorum pueris: inſcribitur. Excudebat IOANNES DAVBMANNVS Regiomonti Boruſſiae, MDLIIII, 8. Initio eiusdem opuſculi exſtat: Ad Illuſtriſſimum puerum NICOLAVM, filiolum NICOLAI RADIVILI, Ducis Olicae ac Neſuiſii, Vilnenſis Palatini &c. ANDREÆ TRICESII Dodecaſtichon.

IV.) De Sacroſancti Evangelii, in ditione Regis Poloniae, poſt revelatum Antichriſtum, origine, progreſſu, et incremento: VIRILII MVSAEI HYPOREADIS Elegia. unà cum DVABVS EPISTOLIS; altera ALOYSII LIPOMANI, Pontificii in Polonia Legati, ad Principem NICOLAVM RADIVILVM, Palatinum Vilnenſem; altera verò Principis eiusdem RADIVILI, ad LIPOMANVM, Legatum illum. Curante PETRO PAVLO VERGERIO. Regiomonti Boruſſiae, per IOANNEM DAVBMANNVM, MDLVI, 4, excuſa. Noſtris autem temporibus, à DANIELE GERDESIO, viro litteratiſſimo, rerumque Polonicarum benè perito, in SCRINII ANTIQVARII, SIVE MISCELLANEORVM GRONINGANORVM, TOMO III. p. 355—376, iterum in medium producta, atque annotationibus ſuis illuſtrata.

Compoſitiſſimae huius Elegiae: ſplendidae autem mendaciis atque maledicae: verum auctorem fuiſſe ANDREAM TRICESIVM Polonum, Poëtam quondam

dam celebrem: primus omnium, ANDREAS WENGERSCIVS, in HISTORIA ECCLESIASTICA SLAVONICARVM PROVINCIARVM, p. 81, nos docuit.

v.) ANDREÆ TRICESII Epigramma, in ADAMI SCHROETERI Silesii Poëmata Iuvenilia. Attextum est: SCHROETERI Elegiarum libro uno. Itemque Epigrammatum libro uno. Cracoviae, à LAZARO ANDREÆ, sine anni significatione, forma 4, excusis.

vi.) ANDREÆ TRICESII Elegia, ad Iuvenes eloquentiae studiosos. Praefixa: IACOBI GORSCII, de Genere Dicendi libro. Qui Cracoviae, apud MATTHÆVM SIEBENEYCHER, anno MDLIX, forma 8, lucem adspexit.

vii.) Ad Illustrem Virum, IOANNEM TARNOVIVM Comitem, Castellanum Cracoviensem: ANDREÆ TRICESII Epigramma. In commendationem BARTHOLOMÆI GROICII, Iurisconsulti clarissimi.

— Ad ipsum BARTHOLOMÆVM GROICIVM, Familiarem suum, ANDREÆ TRICESII, Equitis Poloni, carmen Elegiacum.

Vtrumque praemissum est, GROICII vernaculae Ordinationi Iudiciorum, in causis Iuris Magdeburgici. Quam LAZARVS ANDREÆ, anno Domini MDLIX, forma 4, typis exscripsit.

viii.) ANDREÆ TRICESII Epigramma, in Insigne Domus TARNOVIANÆ. Ornat frontem Articulorum Iuris Magdeburgici, à BARTHOLOMÆO GROICIO Polonicè redditorum. Quae,

 annis

annis MDLVIII, et MDLX, et MDLXV, ex officina LAZARI, forma 4, prodierunt.

IX.) Ad BARTHOLOMÆVM GROICIVM, amicum veterem et familiarem, ANDREÆ TRICESII Epigramma. Subiunctum: Taxae Iudiciali, in caussis Iuris Magdeburgici, à BARTHOLOMÆO GROICIO vernacula lingua proditae. Quam LAZARVS ANDREÆ, anno MDLXII, forma 4, typis exprimebat.

X.) IOANNIS A LASCO VIRI CLARISSIMI EPICEDION PER ANDREAM TRICESIVM EQVITEM POLONVM. Factum elegis. IMPRESSVM PINCZOVIÆ IN OFFICINA DANIELIS LANCICII. ANNO MDLX. 4.

XI.) Bina Epigrammata, omnium elegantissima. Alterum, in NICOLAVM RADIVILVM, Ducem Olicae atque Nesuisii, Palatinum Vilnensem, &c. Alterum, in IOANNEM MACINIVM, Equitem Polonum, Principis illius RADIVILI familiarissimum. ANDREA TRICESIO auctore. Apposita MACINII Lexico Latinopolonico. Quod Regiomonti Borussiae, à IOANNE DAVBMANNO, anno MDLXIV, folii magnitudine fuit excusum.

XII.) ANDREÆ TRICESII, EQVITIS POLONI, EPIGRAMMATVM LIBER I. Ad Spectabilem et Magnificum Virum, IOANNEM FIRLEIVM Dambrouicium, Palatinum Lublinensem, Regnique Poloniae Supremum Mareschalcum, et Rohatinensem Praefectum. CRACOVIÆ, IN OFFICINA LAZARI ANDREÆ: M.D. LXV. 4.

XIII.) AN-

XIII.) ANDREÆ TRICESII, EQVITIS POLONI, EPIGRAMMATVM LIBER II. Ad Insignem virtute et prudentia Patricium et Senatorem Polonum, IOANNEM CHRISTOPHORINVM, Castellanum Vielunensem. *VIVIT POST FVNERA VIRTVS.* CRACOVIÆ, LAZARVS ANDREÆ EXCVDEBAT; M. D. LXV. 4.

Desunt, in utroque volumine, Epigrammata illa: quae TRICESIVS, PRILVSII atque VERGERII, SCHROETERIque, et GROICII, et MACINII operibus, adiecerat.

Priore volumine, maximè IOANNES FIRLEIVS, Palatinus Lublinensis, et Supremus Poloniae Mareschalcus designatus: ANDREAS DVDITIVS, Episcopus Quinque ecclesiensis, atque Romanorum Imperatoris MAXIMILIANI II, ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM Regem Polonorum, magnus Legatus: SOPHIA BONERA, Palatini Lublinensis, IOANNIS FIRLEII coniunx: STANISLAVS LASCIVS Siradiensis Palatinus, atque nepos eius, ALBERTVS nomine, post fata patrui, ad honorem eundem evectus: IOANNES HERACLIDES, Pari et Sami Despota, Moldaviaeque Palatinus: STANISLAVS OSTROROGVS, Castellanus Mederecensis: SEBASTIANVS etiam MYON Poëta et Mathematicus celeber, atque NICOLAVS REIVS excellens Poëta Sarmaticus: aeternitate donantur.

Commendantur autem posteriore volumine immortalitati, ante alios, ALBERTVS LASCIVS, Siradiae Palatinus, suprà laudatus: IOANNES CHRISTOPHORINVS et CASPAR ZEBRIDOVIVS, Rogosinensis hic, ille Vielunensis Castellanus: PETRVS atque HIERONYMVS BVZINII, alter Siradiensis Provinciae Iudex, alter Vieliciensium et Bochnensium Salinarum Praefectus: IVSTVS LVDOVICVS DECIVS, Polonicarum rerum Scriptor luculentus, isque et doctis viris et studiosis iuvenibus amicissimus: PETRVS

PETRVS ROYSIVS MAVREVS, Iurisconſultus et Poëta celeberrimus : CHRISTOPHORVS quoque KOBILIENSCIVS, Poëta nobilis: et VALENTINVS ARNOLDVS, Praefectus praetorii Cracovienſis, aſtrorum ſcientia notiſſimus. Immiſta huic eſt volumini, CLEMENTIS IANICII, illius ſummi Poëtae, in IVSTVM LVDOVICVM DECIVM, Elegia. Quae, in ipſis IANICII operibus, coniunctim publicatis, non reperitur. Eidemque volumini ineſt, IOANNIS DEMETRII SOLIKOVII carmen Elegiacum, de origine Inſignium nobiliſſimae Domus CHRISTOPHORINÆ.

XIV.) In ABRAHAMI BAKSCHAY Pannonii, Secretarii Illuſtriſſimi Domini ALBERTI à LASKO Palatini Siradienſis, CHRONOLOGIAM DE REGIBVS HVNGARICIS : carmen ANDREÆ TRICESII, Equitis Poloni. Iambeo genere. Affixum ipſi opuſculo: Cracoviae, in officina MATTHÆI SIEBENEYCHERI, Nonis Majis anni MDLXVII, forma 4, evulgato.

XV.) ANDREÆ TRICESII, EQVITIS POLONI, SYLVARVM LIBRI II. Ad inſignem natalium ſplendore et omnigena virtute Patricium et Senatorem Polonum, STANISLAVM OSTROROGVM, Caſtellanum Mederecenſem. CRACOVIÆ A STANISLAO SCHARFFENBERG, ANNO DOMINI MDLXVIII, forma 4, typis deſcripti: ab ipſo principe litteraturae Polonae, IOSEPHO ANDREA Comite ZALVSCIO, Epiſcopo Kiovienſi atque Czerniechovienſi, in AVCTORVM POLONICORVM, à ſe collectorum, CATALOGI VNIVERSALIS, manu ſua confecti, Tomo II. p. 1337, indicantur. Qui tamen in manus meas nunquam pervenerunt.

XVI.) Ad effigiem Nobiliſſimi Viri, D. NICOLAI REII, Poëtarum Polonicorum principis : ANDREÆ TRICESII Epigramma. Exſtat, in fronte vernaculi operis, à REIO iam ſeneſcente, in pro-

prospectum civium producti, quod *SPECVLVM VITÆ HVMANAE* inscriptum est. Exiit Cracoviae, ex officina MATHIÆ WIRZBIETÆ, MDLXVIII, folii magnitudine. Praemissi sunt eidem operi: ANDREÆ TRICESII Hendecasyllabi ad Lectorem benignum.

XVII.) Encomium SIGISMVNDI AVGVSTI Poloniae Regis. Suavibus Elegis compositum. ANDREA TRICESIO auctore. Additum: CLEMENTIS IANICII, POETÆ LAVREATI, VITIS REGVM POLONORVM, ELEGIACO CARMINE DESCRIPTIS: in illis Editionibus, quas Typographus Cracoviensis, STANISLAVS SCHARFFENBERGIVS, annis MDLXXIII, et MDLXXV, forma 8, in publicum protulit.

XVIII.) CLEMENTIS IANICII, POETÆ LAVREATI, VITÆ ARCHIEPISCOPORVM GNESNENSIVM. Elegis scriptae. Per ANDREAM TRICESIVM, Equitem Polonum, et Secretarium Regium, nunc primum in lucem, HIERONYMI GARWASCII, Cancellarii Gnesnensis &c. auspiciis, editae. Adiectae sunt, per eundem, eorum vitae, qui ab ANDREA CHRICIO, post obitum IANICII, illi sedi, ad annum salutis MDLXXIV, Coronatione HENRICI VALESII, Sarmatiae Regis memorabilem, praefuerunt. CRACOVIÆ, IN OFFICINA SCHARFFENBERG: ANNO DOMINI MDLXXIV. 8.

XIX.) EPITHALAMIVM: nobilissimi Patricii Poloni, D. PETRI BVZINII, Bresinen. atque Dobcicen. Praefecti: et pudicissimae puellae, CONSTANTIÆ, SIGISMVNDI MISCOVII, Oswiecimen. et Zatorien. olim Praesidis, filiae. PER ANDREAM TRICESIVM EQVIT: POLO:

POLO: SECR: REG. CRACOVIÆ, IN OFFICINA LAZARI, ANNO DOMINI MDLXXX. 4. Iambis blandis ac dulcibus confectum.

XX.) TRIVMPHVS MOSCOVITICVS SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI STEPHANI I. DIVINA FAVENTE CLEMENTIA POLONIÆ REGIS, MAGNI DVCIS LITVANIÆ, ETC. INVICTISSIMI. Per ANDREAM TRICESIVM, Equitem Polonum, S. R. CRACOVIÆ, IN OFFICINA LAZARI: ANNO DOMINI MDLXXXII. 4. Poëma heroicum, Rege victore dignum. Quo TRICESIVS, inter Poëtas emInentiores, locum meritiſſimò eſt conſecutus.

Idiomate autem patrio:

XXI.) BIBLIA SACRA VTRIVSQVE FOEDERIS: Pinczoviae, maximè et auctore, et interprete, ANDREA TRICESIO, in linguam vernaculam tranſlata: à Cracovienſi autem Typographo, BERNARDO WOIEWODKA, Breſtae Lituanorum, ciuitate tum celebri et frequenti, characteribus nitidiſſimis excuſa, et ante oculos omnium expoſita: IV Nonas Septembris, Anni MDLXIII. fol. reg. De quibus ſuo loco uberius dicendum eſt.

XXII.) Vita nobiliſſimi atque integerrimi viri, D. NICOLAI REII à Naglowice: qui inclytiſſimorum Poloniae Regum, SIGISMVNDI Patris, et SISMVNDI AVGVSTI Filii temporibus vixit: expoſitâ ab ipſius familiariſſimo, eiusque actionum maximè conſcio, ANDREA TRICESIO. Anno MDLXVII exeunte. Adiuncta: REII SPECVLO VITÆ HVMANÆ, de quo mentionem fecimus ſupra, N. XVI. Eidem operi, TRICESII Epigrammata quaedam Polonica acceſſerunt.

XXIII.) PF-

XXIII.) PETRI De CRESCENTIIS, Civis Bononienſis: de omnibus Agriculturae partibus, et de Plantarum, Animaliumque natura et utilitate, libri XII, in commodum rura colentium, conſcripti: Polonae autem conſuetudini traditi per ANDREAM TRICESIVM, Equitem Polonum. Cracoviae typis excuſi, in Officina STANISLAI SCHARFFENBERG. Anno Domini MDLXXI. folii magnitudine.

Quaecunque TRICESIVS ille, ſermone tam vernaculo, quam Latino, in lucem edidit: apud Polonos ipſos, inventu nunc ſunt nimis difficilia. Ab ipſoque publicae Bibliothecae conditore, ZALVSCIO MVSAGETA, corvis albis rariora exiſtimantur.

De IOANNE TRICESIO, ANDREÆ Parente: DESIDERII ERASMI Roterodami diſcipulo: in Heterodoxorum conſortionem ſociabilem pertracto: ANDREÆque FRICII MODREVII atque IACOBI PRILVSII maxime amico, familiarique: ANDREAS WENGERSCIVS, in HISTORIA ECCLESIASTICA SLAVONICARVM PROVINCIARVM, p. 124. et 452. ANDREASque WISSOWATIVS, in NARRATIONE COMPENDIOSA, DE VNITARIORVM IN POLONIA A TRINITARIIS REFORMATIS SEIVNCTIONE: quae CHRISTOPHORI CHR. SANDII BIBLIOTHECÆ ANTI-TRINITARIORVM eſt addita: p. 216. et 217. STANISLAVS autem LVBIENIECIVS, in HISTORIA REFORMATIONIS POLONICÆ, p. 18. et 21. et 23. copioſe ſatis commemorarunt. Reliquerat is filio

filio ſuo, optimam et pulcherrimam vitae ſupellectilem, hoc eſt, Bibliothecam omni genere ſcriptorum refertiſſimam. Quam ille, praeclaris, exquiſitisque ſuorum temporum monumentis, adauxit. Exſtabat, in ea, IACOBI HERACLIDIS, Sami Deſpotae, ARS TACTICA, in Expeditione Livonica ab ipſo perſcripta. Cuius opuſculi, aevo noſtro, ne veſtigium quidem ullum apparet.

CIV.

IACOBVS TVCHOVIGENA, Decretorum Baccalaureus, et Collega generalis Studii Cracovienſis. GREGORII SAMOTVLII, pontificii civilisque iuris peritiſſimi, diſcipulus fuit. Editaque eius opera, iuris ſtudioſis, publice praelegit. Domeſticus, et quammaxime familiaris uſus, ei interceſſit, cum SIMONE PROSSOVIANO, Gymnaſii cathedralis moderatore. Cuius res ipſe, cum magna cura atque diligentia, tuitus eſt. Prodiit TVCHOVIGENÆ, FRVCTIFERA INNOVATIO CANONIS: OMNIS VTRIVSQVE SEXVS FIDELIS. *SVB TITVLO:* DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBVS. Cum Reſolutione, poenitentibus et confitentibus, ſacerdotibusque confeſſoribus, tam ſaecularis, quam etiam religioſae conditionis, vel ſtatus, utiliſſima. Reverendiſſimo in CHRISTO Patri et Domino, D. IACOBO BVCZACKI, Dei Gratia Epiſcopo Chel-

Chelmensi, Litteratorum Maecenati Amplissimo, dicata. CRACOVIAE EX OFFICINA VNGLERIANA. ANNO VIRGINEI PARTVS MDXXXVII. DIE XIII MENSIS NOVEMB. forma 8. Ad calcem huius libri reperitur: Encomium reverendi Patris, F. MARCI TVRIGENAE Veneti, diuinarum interpretis litterarum, Ordinis S. FRANCISCI diuina prouidentia Ministri ac Prouincialis, nec non Serenissimae Reginalis Maiestatis BONAE Secretarii atque Commissarii. ab ipso illo TVCHOVIGENA Elegiacis versibus conscriptum. MDXXXVII.

CV.

IOANNES TVROBINVS Roxolanus, Iuris Vtriusque Doctor. GREGORII quoque SAMOTVLII discipulus, et sectator acerrimus fuit. Relictis eius scholis, in foro optime sese exercuit. Exinde a IACOBO BVÇZACIO, Plocensi iam Antistite, ad scribenda decreta, edictaque Episcopalia, vocatus. Quo vita functo: a IOANNE DROIEWSCIO, Chelmensi tum Praesule, posthac vero Vladislaviensi Pontifice, Episcopalis curiae suae Cancellarius factus est. Priorem Episcopum coluit ac veneratus est maxime. Ab eoque, ante alios omnes carissimus, et prope filii loco habitus. Exstat huius TVROBINI: ENCHIRIDION IVRIS PONTIFICII ET CAESAREI. Reverendissimi in CHRISTO Patris

ac Domini, D. IACOBI BVCZACKI, Dei Gratia Episcopi Plocen. Studiorum humanitatis, et virtutis, et veteris disciplinae vindicis maximi, auspiciis editum. PVLTOVIAE, PER IOANNEM SANDECIVM, CHALCOGRAPHVM POSNANIEN. ANNO SALVTARI M. D. XXXIX. III IDVS APRILIS. forma 8 maiori. Legitur et ipsius: EXAMEN IIS, QVI AD SACROS ORDINES MAIORES SVNT ASSVMENDI, AVCTORITATE REVERENDISSIMI ANTISTITIS PRAESCRIPTVM. PVLTOVIAE EXCVSVM PER IOANNEM SANDECIVM CHALCOGRAPHVM POSNANIEN. ANNO POST CHRISTVM NATVM M. D. XL. PRIDIE NONAS IANVARIAS. forma 8. Inter aequales cives suos, GEORGIVM TICZINENSEM, Poëtam non inelegantem, a prima adolescentia sua, usque ad extremum vitae tempus, dilexit toto pectore. Eiusque poëmata comitatus est propriis versiculis suis. Magna quoque, et constans ipsi cum NICOLAO IASKERO, gravi Iurisconsulto, et liberali omni doctrina bene polito, amicitia fuit. IOANNEM autem CERVUM, Saxonici atque Polonici iuris interpretem eruditissimum, ex laudis aemulatione sibi posthabuit. FRANCISCI MYMERI Silesii, Grammatici boni, nec contemnendi Poëtae, fuit amicissimus. Qui in carminibus suis, aliisque opusculis, crebram et honorificam de TVROBINO illo fecit mentionem.

TVRO-

TVROBINVS hicce, mortuo Episcopo Vladislaviensi IOANNE DROIEWSCIO, ab ANDREA ZEBRIDOVIO atque PHILIPPO PADNIEVIO Vrbis Cracoviae Antistitibus, causarum in Curia Episcopali Cracoviensi constitutus fuit Auditor et Iudex generalis. Mortuus ipse est VIII Kal. Septembr. anno CHRISTI MDLXXV, aetatis suae LXIV: cum in Academia Cracoviensi munere Rectoris fungeretur. Ossa eius, ab Episcopo Camenecensi, MARTINO BIALOBRZESCIO, quocum senex intime vixerat, Cracoviae in Templo Divi FRANCISCI funere sollemni sunt tumulata, et monumento nobili contecta.

Amicis TVROBINI praecipuis, annumerari oportet PETRVM ROYSIVM, Iurisconsultum atque Poëtam maxime celebrem. A quo, in CHILIASTICO, p. 14, TVROBINVS insigniter fuit laudatus.

CVI.

IOACHIMVS VADIANVS Helvetius, Poëta et Orator sua tempestate clarissimus, Viennae Austriae in maximo ac memoratissimo Germaniae Caesaris, Hungariaeque atque Bohemiae, et Poloniae Regum, congressu et colloquio, Doctorum Academicorum et studiosorum omnium nomine, ad SIGISMVNDVM Regem Poloniae verba fecit.

Auditus ab ipſo eſt perbenigne, regiisque cum muneribus dimiſſus. A Regis autem Familiaribus, verbis magnificis collaudatus, plurimisque amicitiae cohoneſtatus officiis. Eorumque inſigni pellectus humanitate: cum fratre germano ſuo, cui BENEDICTO erat nomen: RVDOLPHOque AGRICOLA Iuniore, quocum in Viennenſi Academia coniunctiſſime et fidentiſſime vixerat: iter in Poloniam inſtituit, et alacriter perfecit. Cracoviae, urbe huius imperii principe, ſumma ei cum IVSTO LVDOVICO DECIO, doctiſſimo viro, atque officioſiſſimo, amicitia obtigit. Quo ipſo praeeunte, opulentae ac potentis naturae opera duo pulcherrima et maxima, Vieliciĕnſes illas atque Bochnenſes Salinas, ſtudio magno et ardenti colluſtravit. De quibus poſtea, omnium primus, publice expoſuit. A regio Salinarum Praefecto IOANNE BONERO, vicemque eius implente IOANNE OLESNICIO homine nobiliſſimo, hoſpitio decoro eſt exceptus, modisque omnibus refectus. Comiterque ab ipſo Rege admiſſus. A Regni autem primoribus, inque primis a IOANNE KONARSCIO Pontifice Cracovienſi, cognomineque ipſius nepote et Cathedrali Archidiacono: MATHIA quoque DREVICIO atque IOANNE LVBRANSCIO, Vladiſlavienſi illo, hoc Poſnanienſi Epiſcopo: ERASMO item VITELLIO Praeſule Plocenſi, et PETRO TOMI-

TOMICIO Premiſlienſi tunc Antiſtite Regnique Poloniae Procancellario: . CHRISTOPHORO etiam SZYDLOVIECIO Palatino Cracovienſi et Cancellario Supremo, LVCAque GORCA Poſnanienſi Caſtellano et Maioris Poloniae Praefecto: tractatus liberaliſſime atque honorificentiſſime. Teſtatus ille eſt Regi pietatem, Gentique amorem ſingularem, iis ſcriptis:

I.) ORATIO CORAM INVICTISSIMO SIGISMVNDO REGE POLONIAE ETC. In conventu Caeſaris et trium Regum, nomine Vniverſitatis, Viennae Auſtriae per IOACHIMVM VADIANVM Poëtam Laureatum habita: cum Carmine in laudem eiusdem Regis annexo, in quo quaedam de iſto conventu continentur. Impreſſit *Viennae* Nonis Auguſti, Anno M. D. XV. HIERONYMVS VIETOR: qui ſe Principi Invicto hac ſua ſedulitate commendare cupit. forma 4 maiori.

Exordio huius opuſculi legitur: Ad Invictiſſimum SIGISMVNDVM Poloniae Regem, Magnum Ducem Lituaniae, Ruſſiae Pruſſiaeque &c. Dominum et Heredem. IOANNIS DANTISCI, pro IOACHIMO VADIANO Poëta Laureato, Carmen Elegiacum. Exhibetur deinde: AD INVICTISSIMVM OMNIVM ET CHRISTIANISSIMVM REGEM, SIGISMVNDVM, IOACHIMI VADIANI ORATIO. Eaque abſoluta: Regia Caeſaris, Vienna, Invictiſſimum Regem SIGISMVNDVM, Carmine Heroico alloquitur, IOACHIMO VADIANO interprete.

II.) DE NVPTIIS SERENISSIMI AC INVICTISSIMI POLONIAE REGIS, D. SIGISMVNDI, Et illustrissimae Virginis, D. BONAE SFORTIAE, Mediolanensium Ducis, IOANNIS GALEATII, Filiae. IOACHIMI VADIANI Helvetii, Poëtae Laureati, Carmen Elegiacum. Impressum *Viennae Austriae* per IOANNEM SINGRENIVM. Anno Domini M. D. XVIII. Mense Martio. Et denuò typis exscriptum: In Regia Poloniae, *Cracovia:* per HIERONYMVM VIETOREM Philovallem Silesitanum. Anno à CHRISTO nato M. D. XVIII. Idibus Aprilis. forma 4 maiori.

III.) IOACHIMI VADIANI HELVETII, POETAE LAVREATI. De Magnanimo ac Invictissimo Sarmatiae Poloniaeque Rege, SIGISMVNDO eius nominis Primo, Sacratissimi et Inclytissimi Ordinis aurei velleris Socio ascito. Ad ornatissimum virum, IVSTVM LVDOVICVM DECIVM, Regiae eiusdem Maiestatis à secretis, *Elegia.* Excusa: *Viennae Austriae* per IOANNEM SINGRENIVM. Anno M. D. XIX. Die XIII. Novembris. Iterumque evulgata: *Cracoviae*, urbe Regia Sarmatiae, in officina HIERONYMI VIETORIS. Anno à Nativitate Domini M. D. XXV. In vigilia Divi ANDREAE. forma 4.

IV.) IOACHIMI VADIANI HELVETII, DE SARMATIA EIVSQVE CLARIS VIRIS SVI TEMPORIS: ET DE SALISFODINIS SARMATICIS: COMMENTARIOLVS.

Intextus est ipsius, IN POMPONIVM MELAM, DE ORBIS SITV COMMENTARIIS. BASILEAE APVD ANDREAM CRATANDRVM, MENSE IANVARIO, ANNO M. D. XXII. folii magni-

magnitudine, omnium emandatiſſimè ac copioſiſſimè editis. p. 179 - 183. Seorſim inde, a IOANNE PISTORIO, in POLONICÆ HISTORIÆ CORPORIS TOMO I. p. 158 - 163. atque à LAVRENTIO MIZLERO, in HISTORIARVM POLONIÆ SCRIPTORVM COLLECTIONIS MAGNÆ TOMO I. p. 1 - 8, repetitus.

CVII.

PETRVS VEDELICIVS, Medicus haud obſcuri nominis, Obornici, Maioris Poloniae oppido, natus fuit. Poſnaniae Latinas litteras, easque artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, perdidicit a THOMA BEDERMANO. Cracoviae vero a GEORGIO LIBANO voluit Graece inſtitui. Ibique ſtudium ſapientiae et medicinae amplexus, CYPRIANO LOVICIENSI ſeſe tradidit in diſciplinam. Patavii maxime ſecutus eſt HIERONYMVM ACCORAMBONVM, medendi ſcientia uſuque, eo tempore celeberrimum. Atque ibidem LAZARI BONAMICI, communis illius Polonorum praeceptoris, frequens auditor fuit. Reverſus inde Cracoviam, ab Academiae Proceribus, Medicis publicis adſcriptus: ſimulque a Civitate Regia, in Senatorium Ordinem lectus, et Conſul creatus eſt. Editi ſunt: HIPPOCRATIS COI DE DIAETA HVMANA LIBRI III. PETRO VEDELICIO INTERPRETE. CRACOVIAE EX OFFICINA HIERONYMI VIETORIS. ANNO DOMINI

 M. D.

M. D. XXXIII. VII MENSIS AVGVSTI. forma 8 maiori. Ex aedibus eiusdem Typographi prodiere: HIPPOCRATIS COI DE MORBIS VULGARIBUS LIBRI VII. A PETRO VEDELICIO POLONO MEDICO IN LATINAM LINGVAM CONVERSI. ANNO M. D. XXXV. III KAL. IVN. forma persimili. Dedicatum utrumque opus est PETRO KMITÆ, Sandomiriensium tum Castellano, Regnique Poloniae Mareschalco Supremo. Cui VEDELICIVS ille mire gratus fuit. Suavissimos amicos, atque carissimos habuit: IOANNEM ANTONINVM, Medicum arte atque doctrina insignem, et Poëtam non mediocrem: CLEMENTEMque IANICIVM, Poëtarum aetate illa maximum, qui defunctam VEDELICII uxorem, CATHARINAM nomine, epitaphii honore ornavit. Exstare Cracoviae apud S. FRANCISCI Sodales, quos Conventuales appellamus: HIPPOCRATIS COI PRAESAGIORVM LIBROS III. A PETRO VEDELICIO Polono, Medico Cracoviensi, Latine redditos. Vberrimisque ipsius commentariis explanatos. Ab HIERONYMO autem VIETORE, Anno MDXXXII folii magnitudine, typis excusos. ZALVSCIANÆ Bibliothecae conditor illustris prodidit memoriae, in Indice illorum Librorum: quos Antistes optimus litteratissimusque, ad usum suum, atque civium suorum perpetuum, acquirere nequiit: alienis autem in Bibliothecis:

cis, oculis ſuis contemplatus eſt, manibusque ſuis pertractavit.

CVIII.

HIERONYMVS VIETOR Philovallen. Sileſius, ineunte ſaeculo XVI, Viennae Auſtriae coepit exercere artem typographicam. Inde Cracoviam vocatus, litterariis Polonorum ſtudiis plurimum profuit. Namque Romanos characteres admodum nitidos et elegantes attulit. Polonicosque omnium primus in Poloniam invexit. Dedit et Polonis, et vicinis Hungaris, optimorum cuiusque generis librorum ingentem copiam. Quare primoribus utriusque gentis cariſſimus fuit. A SAMVELE MACIEIOVIO, Chelmenſium tum Epiſcopo et Regni Poloniae Procancellario, ALEXIOque TVRSONE, Regni Hungarici iam Palatino, maxime adamatus, debitisque honeſtatus praemiis. Defunctus vita, ſub anni MDXLVI exitum.

CIX.

FLORIANVS VNGLERIVS Boius, vetuſtiſſimi Poloniae Typographi, IOANNIS HALLERI, annos aliquot, ſocius atque adiutor fuit. Propriumque deinde typographeum ſuum Cracoviae inſtruxit. Fuit ille humanioribus litteris haud leviter imbutus, ſcientiaque ſiderali admodum peritus. Edi-

T 5 tae

tae ſunt, ex ipſius officina, propriae eius: EPHEMERIDES AD ANNOS TRES VENTVROS 1529. ET 30. AC 31. DILIGENTISSIME SVPPVTATAE. Et commentarium in easdem Ephemerides, ex diuerſis Aſtronomiae Autoribus compendioſe congeſtum: cum plurimis utiliſſimisque additionibus. CRACOVIAE. DECIMA MARTII. ANNO DOMINI M. D. XXIX. 8. Fuit ipſi, cum RVDOLPHO AGRICOLA, PAVLO CROSNENSI, IOANNE STOBNICENSI, GEORGIO LIBANO, GREGORIO SAMOTVLIO, IOANNE CERVO, SIMONE atque STANISLAO a LOWICZ, aliisque eruditiſſimis viris, amicitia ſumma, atque familiaritas. Fuitque ſatis frequens, cum CLEMENTE IANICIO, gravi iam morbo et exitiali affecto. Qui VNGLERIVM, morte prius exſtinctum, epitaphii honore proſecutus eſt.

CX.

GEORGIVS WERNERVS Caſſovien. Hungarus, Cracoviae, ſub PAVLO CROSNENSI atque RVDOLPHO AGRICOLA, poëticae et eloquentiae, politiorumque omnium litterarum ſtudia, diligentiſſime tractavit. Convixit et ibi, cum IOANNE ANTONINO cive ſuo, IOANNEque LANGO Sileſio, et VALENTINO ECKIO Rhaeto. Quorum amicitia uſus eſt familiariſſime. Edidit: ELEGIARVM LIBRVM VNVM. Reuerendiſſimo in CHRISTO Patri et Domino, D. LADISLAO SALCANO,

CANO, Episcopo Agriensi, et supremo Regni Hungariae Cancellario, maximoque gentis suae Maecenati, dicatum. CRACOVIAE PER HIERONYMVM VIETOREM. ANNO A PARTV VIRGINIS M. D. XXIII. NONIS IVLIIS. forma 8. Maturus aevi, urbis patriae Consul factus est.

CXI.

GEORGIVS WERNERVS Silesius. Lucem ille adspexit Patscoviae, Episcopi Vratislaviensis oppido. Fuitque ab eruditissimo munificentissimoque Praesule, IOANNE TVRSONE, Cracoviam missus. Ubi a RVDOLPHO AGRICOLA, et PAVLO CROSNENSI, MICHAELEque VRATISLAVIENSI, atque aliis optimis magistris, elegantioribus litteris ac liberalibus disciplinis excellenter institutus est. Eoque tempore VALENTINO ECKIO usus est intime. Conjuratum suum, illum appellare solitus. Editisque eius opusculis, suaves facetosque Hendecasyllabos suos, esse comites voluit. Emisit ipse: DE ORNATISSIMI ANTISTITIS, ILLVSTRISQVE PRINCIPIS, DOMINI IOANNIS THVRSONIS, EPISCOPI VRATISLAVIENSIS, REGIIQVE OLIM IN VTRAQVE SILESIA VICARII, OBITV: AD FRATRES INCLYTOS, ALEXIVM ET IOANNEM THVRSONES, LIBEROS DOMINOS PLESNENSES: ELEGIAM. CRACOVIAE EX AEDIBVS HIERONYMI VIETORIS. ANNO SALVTIS NOSTRAE MDXX. III KALENDAS SEPTEMB. 4. Peperit et sibi Cracoviae,

coviae, cum populari ſuo IOANNE LANGO, magnam amicitiam. A quo, inſequenti tempore, SIGISMVNDO HERBERSTEINIO, Germanorum atque Hungarorum Regis, FERDINANDI intimo, commendatus eſt validiſſime. Summique huius viri opera et auctoritate, apud FERDINANDVM Regem eſt effectum, ut WERNERVS ille ad Hungariae indigenas fuerit receptus, atque primarius Conſiliarius eiusdem Regni renunciatus: ſimulque Comes ſupremus Saroſienſis provinciae conſtitutus, et cunctis Regiis in Pannonia ſuperiore reditibus praefectus. Scripſit tunc proſa oratione pulcherrimum, DE ADMIRANDIS HVNGARIÆ AQVIS, HYPOMNEMATION. Idque, VIENNÆ AVSTRIÆ ÆGIDII AQVILÆ TYPIS, ANNO MDLI, forma 4 excuſum *, indulgentiſſimo Maecenati ſuo, SIGISMVNDO HERBERSTEINIO, exhibuit. Confecit et nonnulla EPIGRAMMATA. Quae, parvulo libello: qui PANNO-

*) Editum deinceps, una cum SIGISMVNDI HERBERSTEINII, RERVM MOSCOVITICARVM COMMENTARIO, BASILEÆ PER IOANNEM OPORINVM MDLVI, folii magnitudine: ſubiunctumque MARTINI BRONIOVII, TARTARIÆ DESCRIPTIONI, quae COLONIAE AGRIPPINAE, ex officina BIRCKMANNICA, clɔ. Iɔ. XCV. foliis integris, in publicum prodiit. Neque ita multo poſt a IACOBO BONGARSIO, RERVM HVNGARICARVM SCRIPTORIBVS VARIIS: qui FRANCOFVRTI, apud ANDREÆ WECHELI Haeredes, lucem adſpexerunt: p. 590 607 inſertum. Aetate autem noſtra, à IOANNE GEORGIO SCHWANDTNERO, inter SCRIPTORES RERVM HVNGARICARVM VETERES AC GENVINOS, Volumine I. p. 842 -- 862, oculis eruditorum hominum rurſus expoſitum.

NONIÆ LVCTVS inſcribitur: immiſta, CRACOVIÆ EX OFFICINA HIERONYMI VIETORIS. ANNO SAL. MDXXXXIIII. forma 8 prodierunt.

CXII.

HIERONYMVS WILDENBERGIVS Aurimontanus Sileſius, Gymnaſium Culmenſe, vetuſtate originis, et crebra fortunae varietate, in Pruſſia Sarmatica omnium celebratiſſimum, cum memorabili laude rexit. Fuitque apud Pontificem Culmenſem, TIDEMANNVM GISIVM, aetatis ſuae doctiſſimum prudentiſſimumque, acceptiſſimus. Exiit: HIERONYMI WILDENBERGII AVRIMONTANI, TOTIVS RATIONALIS PHILOSOPHIÆ, IN DIALECTICAM ARISTOTELIS, EPITOME. In uſum Iuventutis Gymnaſii Culmenſis conſcripta. Reverendiſſimoque in CHRISTO Patri et Domino, Domino TIDEMANNO, Culmenſis Dioeceſis Pruſſiae Epiſcopo, eius nominis primo, dedicata. CRACOVIÆ APVD VIDVAM HIERONYMI VIETORIS. ANNO AB ORTV CHRISTI M.D.XLVII. 8. Egreſſaque ibidem in lucem eſt eiusdem: HIERONYMI WILDENBERGII AVRIMONTANI, TOTIVS NATVRALIS PHILOSOPHIÆ, IN PHYSICAM ARISTOTELIS, EPITOME. Illuſtriſſ. ſimul atque clariſſimis iunioribus Sileſiae Principibus, et Dominis, FEDERICO ac GEORGIO, fratribus germanis, Legnicen. Bregen. Opolien. &c. Dominis et Haeredibus, ſacrata. ANNO A NATO SERVATORE CHRISTO M. D. XLVIII. forma

forma ſimili. Illius etiam WILDENBERGII, MORALIS PHILOSOPHIÆ EPITOME: ETHICES, POLITICES, ET OECONOMICES PRINCIPIA LVCVLENTISSIME ENARRANS. Reverendiſſimo in CHRISTO Patri, Principi et Domino, D. TIDEMANNO, Deſignato Varmienſis Eccleſiae Epiſcopo, nuncupata. IN REGIA POLONIÆ VRBE CRACOVIA: APVD VIDVAM HIERONYMI VIETORIS. ANNO CHRISTI NATI M. D. XLIX. MENSE FEBRVARIO. eadem chartarum forma, typis exſcripta fuit. Opuſcula illa, unum in volumen comprehenſa, Baſileae ex Officina IOANNIS OPORINI, Anno Salutis humanae M. D. LXII. forma 8 prodierunt.

CXIII.

IODOCVS WILLICHIVS Reſellianus Prutenus, homo ingenio praeſtanti et eruditione perfecta, in Academia Francofordiana ad Viadrum, artem medicinae, atque ſtudia humanitatis, magno auditorum undique confluentium applauſu, eſt profeſſus. Emeruitque ibi Antiſtitis vicini, GEORGII a BLVMENTAL, Epiſcopi Lubuſani, litterarum haud quidem periti, ſed doctorum ac litteratorum hominum imprimis cupidi ac ſtudioſi, gratiam. iusque in comitatu, in Poloniam profectus, Cracoviae a primae dignitatis auctoritatisque viro, SEVERINO BONERO, familiariſſime eſt acceptus, magnisque affectus honoribus. Ab eiusque fideli et ſedulo cliente, ANSELMO

EPHO-

EPHORINO, ad intimam arreptus ſocietatem atque amicitiam. Quo etiam ductore, ſalinas Vielicenſes atque Bochnenſes, Cracovienſi agro contiguas, cura intentiſſima vidit et examinavit. Compoſuit Cracoviae eruditam ſane luculentamque: DE SALINIS CRACOVIANIS OBSERVATIONEM. Eamque, Praeſtantiſſimo D. SEVERINO BONERO à Balitz, Praefecto Biecenſi, Salinarum Regni Sarmatici Praeſidi, &c. inſcriptam. APVD HIERONYMVM VIETOREM. FERIIS DIVI GEORGII. ANNO SALVTIS M. D. XLIII. forma 8, iuſſit in medium procedere. Subſequentis ſaeculi anno XLV, IOANNES BROSCIVS, illius aetatis clariſſimus Philoſophus atque Mathematicus, libellum hunc, novo doctoque prooemio ſuo adornatum: Regique Polonorum atque Suecorum, VLADISLAO IV, Muſis benigniſſimo dedicatum: GEDANI apud GEORGIVM FORSTERVM, eadem forma in lucem revocavit. His autem temporibus, LAVRENTIVS MIZLERVS, Regius Conſiliarius, et Medicus, et Hiſtoriographus, perquam bene de Gente Polonorum meritus ac meriturus, HISTORIARVM POLONIÆ SCRIPTORVM COLLECTIONIS MAGNÆ TOMO I. p. 798 — 806, inſeruit.

CXIV.

CXIV.

ANTONIVS et MICHAEL WRANTII Dalmatae. Hi fratres, bellica calamitate, a patria ſua expulſi, ad Cracovienſium Praeſulem, Regnique Poloniae Cancellarium, PETRVM TOMICIVM, eximium illum, et praeclarum ſtudioſorum tutorem, confugerunt. A quo amantiſſime in propriam domum, convictumque, ſunt recepti: exquiſitoque magiſtro, STANISLAO HOSIO traditi: et ingenuis omnibus artibus, virtutibusque apprime culti atque inſtructi. Sunt penes nos: ANTONII *) WRANTII DALMATÆ ELEGIÆ geminae. CRACOVIÆ APVD HIERONYMVM VIETOREM. MENSE IVNIO ANNI MDXXXVII. forma 4, in lucem eductae. Quarum altera, mortuum Cracovienſem Epiſcopum, PETRVM TOMICIVM, luget. Altera, ſororis eius filium, ANDREAM CRICIVM, Archiepiſcopum Gneſnenſem, totiusque Poloniae Primatem, leto datum, deplorat. Eſt et MICHAELIS WRANTII DALMATÆ ELEGIA, IN OBITVM MAXIMI ET ANTISTITIS ET MÆCENATIS, REVERENDISSIMI PATRIS ET

*) ANTONIVS ille WRANTIVS, redux in patriam ſuam, ingenii et doctrinae, maximèque et eloquentiae, et prudentiae civilis opinione atque exiſtimatione, adeò inclaruit; ut à Romanorum atque Hungarorum Rege ſapientiſſimo, FERDINANDO I, Agrienſium Epiſcopus renunciaretur, et ad negotia omnia publica, inter Hungariae primores, adhiberetur.

ET DOMINI, DOMINI PETRI TOMICII, EPISCOPI CRACOVIEN. ET REGNI POL. CANCELLARII. IMPRESSA CRACOVIÆ IN OFFICINA HIERONYMI VIETORIS. ANNO DOMINI MDXXXV. XIIII KALENDAS DECEMBRES. forma 4. Estque: EPITALAMION SERENISSIMI IOANNIS HVNGARIÆ REGIS ET ISABELLÆ REGINÆ: PER MICHAELEM WRANTIVM DALMATAM verſibus heroicis compoſitum. PERque HIERONYMVM VIETOREM. CRACOVIÆ. ANNO MDXXXIX. forma 4 excuſum.

CXV.

STANISLAVS ZABOROWSKI Polonus, nobili ac pervetuſto genere prognatus, pubertatis ac primae adoleſcentiae tempora transegit militari diſciplina. Eaque fatigatus, ad ſtudia humanitatis ac litterarum convertit animum. Pontificioque et civili iuri impenſe dedit operam. Sacerdotali toga ſumta, in Unieiovienſi Eccleſia Collegiata, Canonici primum, et deinde Decani locum occupavit. Ab ALEXANDRO Rege, ante paucos quam obiret menſes, factus Theſauri Regni notarius. A SIGISMVNDO I, cuſtos eiusdem Theſauri creatus. Officium atque munus ſuum exercuit laborioſiſſime: ſacerdos integer, et innocens, et religioſus: idemque civis optimus, et pro veritate firmiſſimus. Haec eius ſunt opera:

 1.) Tracta-

I.) Tractatus de natura Iurium et Bonorum Regis. Et de reformatione Regni ac eius Reipub. regimine. Autore STANISLAO ZABOROWSKI Regni Polonie theſauri Notario. Impreſſus CRACOUIE per IOANNEM HALLER. Feria ſecunda ante natiuitatis MARIE. Anno Domini 1507. 4.

II.) Preclarus et inſignis tractatus: docens modum legendi abbreuiaturas utriusque Cenſure: ſtudioſis tirunculis ualde neceſſarius, ac a multis mendis purgatus et emendatus. Autore STANISLAO ZABOROWSKI Regni Polonie theſauri Notario. Deeſt nota temporis. Appoſitum autem eſt FLORIANI VNGLERII, Cracovienſis Typographi, inſigne. forma 8.

III.) De Cęlibatu Chriſtianorum. Et pręſertim Sacerdotum ac Uirginum. Et cur ſacerdotibus non liceat uxores habere, et quanti meriti ſit uita caſta, et quod incontinentes ad ſacerdotii gradus promoueri non debent, ſed nubere tenentur, ſi ſalui eſſe uelint. Et de triplici uiuendi hominum uita, et que illarum ſit melior, et cur iuncta ſit anima corpori. Et de militibus quales fieri debeant. Et de multis aliis, dignis ſcitu, opuſculum. Autore STANISLAO ZABOROWSKI Regni Polonię theſauri Cuſtode. CRACOUIĘ in Ciuitate Regia per FLORIANUM UNGLERIUM impreſſum. Anno partus Uirginalis Milleſimo quingenteſimo uigeſimo nono. forma 8 maiori.

IV.) GRAMMATICES RUDIMENTA: Seu octo partium orationis examen. Cum forma, ſeu modo uerba exponendi. Additaque eſt: Orthographia, ſeu modus recte ſcribendi et legendi Polonicum Idioma quam utiliſſimus. Autore STANISLAO

LAO ZABOROWSKI Regni Poloniae thesauri Custode. Excusum CRACOVIAE per MATHIAM SCHARFFENBERG. Anno M. D. XXIX. Perque eundem Typographum denuo vulgatum. Anno Domini M. D. XXXVI. forma 4. Prodiit denique, post fata auctoris, Editio Nouissima, multo diligentiori opera, quam antea, adornata. CRACOVIAE apud MATTHÆUM SIEBENEICHER. Anno 1560. forma 4.

VIRI POLONI! Scriptitanti mihi, mors mei Praesulis ac Maecenatis, ZALVSCII MAXIMI, Episcopi Kioviensis, calamum de manu excussit. Desiderio eius: quocum annos XXIX vixi coniunctissime: vehementer afflictus, aegritudineque et animi et corporis iam confectus: fato eodem, ipsum eram insecuturus. Ast *Principis Parentis*que *Publici*, STANISLAI AVGVSTI, Poloniae Regum omnium Doctissimi ac Sapientissimi: inque homines litteratos, et celebrandae veteris Polonorum gloriae studiosos, mirum in modum benigni: providentia, clementiaque, atque magnanimitas, in vita me retinuit. Opusque divinum et perpetuitate dignum, id est, Bibliothecam, communi civium usui ac commodo, ab Antistite relictam, *Patriae Pater*, temporibus his calamitosissimis, cura ac liberalitate regia complexus est. Cui amplificandae, exornandaeque, atque perficiendae, Magni

Magni Lituaniae Ducatus Magnum Notarium, IGNATIVM Comitem POTOCIVM, Heroa natalibus maxime illuſtrem: aevique et ingenii flore, doctrinarum quoque atque virtutum ornamentis: REGIÆ SVÆ MAIESTATI, Civibusque optimis omnibus, amabilem: praepoſuit. Quo praeſide ac Duce: de Patria bene mereri, ingeniorumque noſtratium facinora, memoriae Poſterorum ſempiternae commendare, pergam; quantum ingenioli atque corpuſculi vires, annorum XXIX obſequiis publicis, moleſtiisque domeſticis haud exiguis, attritae valebunt. VARSAVIÆ, e Bibliotheca Patriae, Kalendis Iuliis anni a CHRISTO Nato MDCCLXXIV.

IOANNES DANIEL ANDREAS IANOCIVS, Bibliothecae huiusce Praefectus tricenarius: idemque Canonicus Cathedralis Eccleſiae Kievienſis, atque Praepoſitus Babimoſtenſis.







